

1  
1.  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8



1716.

1. Zolbeck, Georgius Christophorus: De amphiteatrii rerum  
fundatione.
2. Feuerhans, Jacobus Wilhelmus: De crastis sive  
proceptoribus
3. Fittnerus, Iohannes Georgius: De eo, quod iustum est  
circa pieturam.
4. Hildebrandus, Hauricus: Legem commissariam sec.  
ditioni Ottoni adjectam . . . recitat.
5. <sup>1</sup>/<sub>2</sub> Hildebrandus, Hauricus: De iurisdictione finium  
provinciarum abque publicorum. 3. Junii. 1716,  
1717 & 1749
6. Hildebrandus, Hauricus: De pacti reservationi officio.
7. Hildebrandus, Hauricus: De intemperiosis civium  
discerni solentibus.
8. Hildebrandus, Hauricus: Fura peculiaris quatuor  
respublice Noribergensis.

9. Lier, Johannes Faculus: Pactum praeparatorum  
actionum proventus et sua praestantia. 3
10. Mayer, Jo. Faculus: An reprobatio post attesta  
lorum publicationem auctoritate sit 3. 4.  
5
11. Schwarzus, Gell.: De ornamentis codicum veterum
- 12<sup>a. l.</sup> Spiz, Erhardus: De coreis. 2 Bunde 6
- 13<sup>a. l.</sup> Spizius, Erhardus: Facis feudales universi  
patroia capta. 2 Bunde. 7

1717.

1. Fichtnerus, Johannes Gengen: De jure peregrinorum 7
2. Gubardus, Dyrwinus: De necessaria jurisprudentia  
cum philologia et humaniori litteratura confusa  
liber 8  
9

- 3<sup>a</sup> = Mißbraun, Hauricus: De jure W. & W. fungatus  
 Serranus Electori Palatino proprio. 2 Gumb.  
 1714 = 1741
4. Linck, Georg Hauricus: De pactis notiosis
5. Linck, Fancus Theobaldus: De probatione per  
 insignia et arma gentilitia. Vza Heschlechts. Wappen.  
 Rec. 1741.
6. Mullerus, Fr. Hauricus: Mercurius physico-politicus,  
 seuu Legationem medicam, et varia illustanda  
 script. s. dicta notens
7. Schenker, Petrus: De ortu et reformatione feudali
- 7<sup>a</sup> = Schnarzen, Christianus Gollubius: De lotis plica  
 filibus.
8. Hner, Johann Jacobus: De actione Nationali
9. Tentor, Joh. Wolfgangus: De feudis imperii proprii  
 nra, oblati annuacionis

16.

Zeltner, Gustav Georg: *Die gemias conjugation  
partitivorum fundamenta* 2



1716, 13a  
16  $\frac{17}{16}$   
16

IVRIS FEVDALIS  
VNIVERSI  
POTIORA CAPITA

FRIDERICVS ERNESTVS

S. R. I. MARESCALLVS HEREDITARIVS

COMES ET DOMINVS IN PAPPENHEIM

ADSTANTE

ERHARDO SPIZIO

ALTDORFFINO

PVBLICAE ET SOLENNI ERVDITORVM DISQV<sup>2</sup>ISITIONI

EXPONET

AD DIEM XVII. IVNII MDCCXVI.

---

ALTDORFI

LITERIS JOD. GVILIEL. KOHLESII, ACAD. TYPOGRAPHI

IVRIS FEVDALIS  
VNIVERSI  
POTIORA CAPTA

FRIDERICVS ERNESTVS  
S. I. MARESCHALLVS HEREDITARIVS  
COMES ET DOMINVS IN PAPENHEIM

ERHARDO SPIZIO

AD DORFUM  
PRAEDICAE ET SOLENNI RATIONUM DISPUTATIONI

EXORIT  
AD DIEM XPM II KIL MCCCLXX

LITAEIS IOH. GABRIEL KOLBESII, ACAD. PTOGRAMM.

ILLVSTRISSIMO COMITI  
ET DOMINO

DOMINO  
CHRISTIANO  
ERNESTO

S. R. I. MARESCHALLO HEREDITARIO PRIMARIO

COMITI ET DOMINO IN PAPPENHEIM  
DOMINO IN ROTENSTEIN KALDEN  
BELLENBERG RELIQUA

REGIAE MAIESTATIS POLONIAE  
ET ELECTORIS SAXONIAE  
CVBICVLARIO

S. R. I. EQVITI

ET QVOD MIHI PLYS EST

PARENTI  
GRATIOSISSIMO BENIGNISSIMO

CVI  
POST DEVM  
VITAM  
VITAE ORNAMENTA  
FORTVNAE PRAESIDIA  
INPRIMIS ANIMVM  
EORVM QVAE CVM LAVDE ET HONESTATE  
CONIUNCTA SVNT  
CVPIDVM  
IMO OMNIA  
DEBEO  
HOS  
PATERNAE BONITATIS ET PROVIDENTIAE  
PRIMOS EOSQVE PVBLICOS FRVCTVS  
IN SACRAE PIETATIS ET VENERATIONIS  
ARGVMENTVM  
CONSECRE  
ATQVE  
A NVMINE COELESTI  
FELICITATEM  
QVANTA ANIMO CONCIPi POTEST MAXIMA  
RELIGIOSISSIMIS VOTIS  
APPRECOR  
FILIVS OBSEQVENTISSIMVS  
F. E. C. P.



## PRAEFATIO.

**C**um eorum, quibus in me arbitrium est, jussu, semestre spatium, & quod excurrit, in hac inclyta Universitate Altdorffina transegerim, & nunc ad exteras oras mihi abeundum sit, placuit more consueto prius de themate Dissertationis esse sollicitum, quam exinde pedem promovere. Vsu enim diuturno & Altdorffinis quasi proprio invaluit, ut Disputationes frequenter admodum hic habeantur, & raro Academicorum quispiam ex hac urbe excedat, quin ante publico specimine vires periclitatus, aliis etiam demonstraverit. Ipse mihi hujus rei testis sum, qui hoc brevi temporis intervallo Exercitationibus 50. plus minus, praesens interfui, Opponentium alacritatis Applausor, Respondentium dexteritatis Laudator, Praesidumque scientiae facundiaeque Admirator. Ut itaque Deo Parentibusque temporis hic exacti rationem, Amicis diligentiae meae qualis qualis documentum, Florentissimis vero Studiosis exemplum, quod multi Eorum mihi dederunt, redderem; simili instinctu aliquid

DISSERT.

A

in

in chartam conjicere decrevi. Enimvero cum in uno aliquo Juris aut alius solidioris doctrina argumento eligendo totus essem, tantus sese obtulit elegantissimorum thematum numerus, ut, quodnam reliquis praefendum esset, judicatu difficillimum sentirem & diu anceps haberem. Tandem non in parte, sed in toto substiti. Universum Jus Feudale aggressus, quod ob utilitatem, jucunditatem & facilitatem mihi semper habui commendatissimum, quodque ductu Spiziorum, Patris & filii, Virorum ob insignia in me erudiendum merita, omni mea laude majorum, memoriae mea sublevanda gratia, jam antebac schedis meis diligentius annotatum, nunc praecipue calamo meo dignum judicavi. Quamvis enim haud immerito Iliada post Homerum scripsisse videri queam, cum, teste Schiltero in praef. Inst. Jur. Feud., tanta jam sit copia eorum, qui de Jure Feudali Synopses, Institutiones, Syntagmata, Partitiones, Commentarios scripserunt, ut eam non vebat una ratis: nihilominus omnem hujus Juris doctrinam, prout illa a Doctoribus dari vel solet vel debet, vel minimum a me potuit, Tibi, L. B. sistere jurovat, non alio, nisi hoc animo, ut Disputanti per paucas aliquot horas materiam suppeditem, morique Academiae hujus quodammodo satisfaciam. A Te igitur, L. B. ut laborem hunc aequi bonique consulas, atatis infirmitati scriptionis defectus imputes, auctorique Sagatae non minus quam Togatae militiae faventi faveas, rogo & expecto.



## DISSERTATIO FEVDALIS.

### I.



**D**E Feudi Etymo, ut sollicitus sim, vel in ejus <sup>Feudi Etymologia remigive.</sup> cunabula curiosius inquiram, non operæ pretium censéo. Juvat itaque superfedere hac opella, & L. B. ad Schilteri *Instit. ad Jus Feudale cap. 1.* nec non Stryckii *Exam. Jur. Feud. cap. 2. quest. 1.* ubi hac de re uberius actum est, remittere.

II. Origo autem rei ipsius Longobardis ut plurimum adscribitur. Hi enim circa An. Christi 568. in Italiam irrupentes, <sup>origo Longobardis adscribitur.</sup> sub Duce Alboino, primo eorum Rege, una cum forma Reipublicæ, qua antea in inferiori Saxoniam usi fuerant, feuda introduxerunt. Et licet horum Imperium Carolus M. postea destruxerit, tantum tamen abest, ut feudale Jus simul aboleretur, ut potius in stabiliendo illo omnem navarit operam. Occupato enim regno Italiae, ut quies in Republica conservaretur, præficiebat civitatibus regionibusque Benemeritos quosque, qui & Juridicundo præessent, & loca ab ingruentibus hostibus defenderent, fructusque exinde perciperent, quos Vasallos appellabat; quæ consuetudo postea magis magisque increbuit, & ab ipsis Successoribus Imperatoribus approbata est.

III. Licet, quæ ratione originis Feudorum dicta, extra <sup>Quin & Romanis quodammodo.</sup> omnem dubitationis aleam fere posita sint, & communi DD. calculo confirmantur, negandum tamen non est, jam apud Romanos, inprimis vero Alexandri Severi tempore, simile quippiam & naturæ Feudorum conveniens, in observantia fuisse, ceu Dn. Gundlingius in suis Gundlingianis *P. 1. cap. 1.* admodum accurate probatum ivit. vid. etiam *Zaf. in Ep. feud. p. 1. pr.*

Cujac. *in Comm. ad Lib. feud. pr.* Qui vero ex prima Monarchia ortum Feudorum deducere conantur, adducentes pro se Geneleos *cap. 14. vers. 4.* operam perdere censendi sunt.

IV. A moribus itaque Longobardorum descendit Jus Feudale Struv. *c. 1. th. 5.* Stryck. *Ex. J. F. c. 1. qu. 5.* quod inter non scripta sive consuetudinaria optimo refertur jure, ex consuetudinibus siquidem collectum *2. feud. 7. pr. & 2. f. 9. pr.* Neque obstat, quod postea in scripturam sit redactum (quod primo omnium fecere tempore Friderici I. An. C. 1150. Gerhardus Niger & Obertus de Orto, Consules Mediolanenses *2. f. 1. hinc 2. f. 25.* Sapientes civitatis dicti, confer. etiam historia Otton. Freisingensis *de reb. gestis Friderici Lib. 2. cap. 12.* sequioribus deinde temporibus alii alias speciales quasdam consuetudines adjecere, uti apparet ex *2. f. 25.* ubi Gerhardus & Obertus ut testes allegantur, & tandem Imperatorum Constitutiones apponens Hugolinus Jctus Bononiensis, Jus Feudale eo, quo adhuc hodie conspicitur modo, Corpori Juris adjunxit. Struv. *c. 1. th. 7. n. 4.* Rhetius *Coñent. Jur. Feud. proœm. verb. incipiunt. n. 6.*) cum propterea naturam & essentiam consuetudinis neutiquam amiserit. Finckelthuf. *Disp. Feud. 1. th. 6.* Arumæus *Disp. Feud. 1. th. 20.* quia scriptura non est de necessitate Juris scripti *L. 36. ff. de LL.* Hopp. *Comm. ad Inst. tit. 2. §. 9.* Cæterum quæ in Jure Feudali extant Constitutiones Imperatorix, utut ad Jus scriptum referendæ sint indubie, nihil quicquam tamen officiant, quo minus Jus feudale, non scripto sit accensendum, cum a potiori fiat denominatio. Finckelthuf. *Controv. feudal. Disp. 1. qu. 6.* Rittersh. *Partit. feudal. lib. 1. cap. 1. qu. 8.* Non enim, inquit Stryckius *E. J. F. cap. 1. qu. 12.*, potest una alterave Constitutio Imperatoria Consuetudinibus inserta harum indolem immutare.

V. Suffi-



V. Sufficiat itaque vim Legis habere hodie Jus feudale; *Legis bene vigorem.* cum enim primo sponte sit receptum, & deinde etiam in Receptibus Imperii, ubi passim ad Jus Feudale provocatur, illudque ut receptum allegatur, implicite sit confirmatum, nullum est dubium, quin eandem, quam Jus scriptum, habeat auctoritatem, Struv. *c. 1. th. 7. n. 7.* Schrader. *de Feud. p. 1. qu. 1. n. 1.* adeo ut non solum ad decisiones causarum feudalium tanquam authenticum allegetur Struv. *d. l. n. 8.* Fachin. *lib. 7. c. 2.* Zaf. *in Epit. feud. in pr.* Vnde Vulgatum illud: Textus feudalis est pro Lege in sua materia: verum & extra materiam feudalem, (si quid disponat, quod non est contra Jus commune, sed secundum vel præter illud,) vim suam exserat Borcholt. *c. 2. n. 32.* Finckelthuf. *Disp. F. 1. controu. 9.* Plebst. *de Feud. 1. th. 6.* Hunn. *tract. feud. p. 32.* Si vero casus existat consuetudinibus hisce non comprehensus, tunc primum ad Juris feudalis rationem, & ea deficiente, ad Jus civile recurrendum *2. f. 1.* Finckelthuf. *Disp. 1. controu. 9.* Struv. *c. 1. th. 14.* vel ad Jus Canonicum Niell. *de Feud. 1. th. 14.*

VI. Cum itaque ex iis, quæ modo §. præc. dixi, certum sit, Jus Feudale omnes Romano Imperio subiectos Laicos æque ac Clericos obligare Rosenthal. *de Feud. c. 1. conclus. 9.* G. Anton. *disp. 1. th. 1. lit. m.* adhuc tamen monendum est, duplex esse illud, quo hodie in Germania utimur: Scilicet commune & speciale. Illud id ipsum est, quod Calci Corporis Juris plerumque adjectum videmus; hoc vero nomine, Specialia Provinciæ statuta *Lehn- und Land-Rechte* & singulares consuetudines Autoribus veniunt Struv. *c. 1. th. 8.* Stryck. *E. F. c. 1. qu. 19.*

VII. Præmissis breviter iis, quæ prolegomenorum instar de Feudorum origine & Juris Feud. Auctoritate præmittenda duxi, nunc ad rem ipsam ordine devolvor, describens feudum ex *2. f. 23.* quod sit beneficium illud, (*seu species beneficii*) quod ex

benevolentia ita datur alicui, ut proprietas quidem rei immobilis (*in his n. proprie feuda consistunt*) beneficiaræ (*i. e. beneficium affectæ*) penes dantem remaneat, usufructus (*utilitas*) vero illius rei (*omnimoda, cum potestate rem ipsam vindicandi*) ita ad accipientem transeat, ut ad eum, heredesque suos, (*sive ejus*) masculos sive fœminas, si de his nominatum dictum sit, in perpetuum pertineat, ad hoc, (*eo fine*), ut ille (*vasallus*) & sui (*Ejus*) heredes fideliter Domino serviant, sive servitium illud nominatum, quale esse debeat, sit expressum, sive indeterminate sit promissum. Et hanc definitionem textualem, ut paulo prolixior, attamen rem totam per omnes causas explicantem, præstat hic meam facere, quam alias aliorum breviores quidem, sed & obscuriores pro norma agnoscere. Qui feudum per usufructum f. dominium utile, tanquam Genus proximum definiunt vid. Struv. *cap. 2. th. 3.* Vasalli Jus potissimum considerasse videntur. Alii cæteroquin *Juris* vocem, quod facit Anton. *dist. 1. th. 2.* & Cujacius *ad rubr. 1. f. 1.* Alii vero, *rei immobilis* verbum, vid. *Duaren.* substituuntibus.

Substantia  
feudorum  
consistit in  
fide mutua.

VIII. Sufficiat autem mihi ex data modo definitione vidisse, fidem s. fidelitatem (quæ mutua esse debet, & ratione Vasalli in præstatione obsequii fidelis; ratione autem Domini in præstatione fidelis defensionis consistit, hinc nota Jure Feudali dicendi formula *getreuer Herr, getreuer Knecht* vid. *infr. §. 60.*) primario atque unice formam s. substantiam feudorum constituere atque absolvere. Non obstat. *2. f. 3. in fin.* cum Juramentum fidelitatis, non vero ipsa fidelitas a feudo abesse vel remitti possit Stryck. *c. 2. q. 22.* sicuti etiam remitti possunt Servitia, quippe quæ similiter ad substantialia non, sed tantum ad naturalia, quæ ex voluntate Contrahentium mutabilia sunt, pertinent. Sic nempe per pacta feuda sine servitiis constitui possunt,

possunt, ut fit in feudo Franco. Stryck. E. F. F. c. 2. qu. 22. 23. & 24. Reliqua requisita, in definitione contenta, sua quæque loco videbimus.

IX. Definitioni rite datæ recte Autores divisionem sub-<sup>Generaliss.</sup> jungunt. Est autem summa atque generalissima omnium feudorum divisio in *Proprium* seu Rectum, regulare; & in *Improprium* & *Impropriū*, seu non-Rectum, irregulare, vel obliquum. Illud est, quod formam & naturam a Jure feudali præscriptam obtinet. Anton. *disp.* 1. *th.* 7. quæ requirit 1.) ut feudum constituatur in re immobili vel æquipollenti 2. *f.* 1. 2.) ut Dominium <sup>Propriū re-</sup> rectum maneat penes dominum, utile vero ad Vasallum trans-<sup>quisita.</sup> feat. 2. *f.* 23. 3.) ut sit perpetuum sive in hæredes vel descendentes transitorium *d.c.* 23. 4.) & quidem in solos Masculos competat successio 1. *f.* 8. *f.* 2. 5.) ut concedatur gratis sine pretio aut mercede 1. *f.* 27. *pr.* 6.) Ut investitura acquiratur 1. *f.* 25. 7.) ut Juramento fidelitas ob beneficium acceptum promittatur 2. *f.* 3. *in fin.* 8.) ut servitia & quidem incerta præstentur 2. *f.* 23. *inf.* 9.) ut sub nullo, qualis ille sit prætextu alienetur 2. *f.* 55. & denique 10.) ut Vasallo sine prævia causa, vel cognitione, feudum non auferatur 1. *f.* 21. & quæ sunt alia. Hoc autem est, quod ab ea natura in uno alterove desecit.

X. Proprium iterum varie subdividitur, & quidem I. <sup>Proprium</sup> ratione acquisitionis in Novum & Vetus. (Alii mixtum addunt, <sup>est</sup> cum feudi natura per pactum ita alteretur, ut e. gr. ex feudo novo fiat vetus, & vice versa ex veteri novum, modo hic consentiant agnati. Sic potest Dominus feudum concedere Jure feudi antiqui, *nach Art und Eigenschaft eines rechten alten Stamm-Lebens* Ludw. c. 3. p. 51. Stryck. E. F. F. c. 3. q. 16. imprimis vero Struv. S. F. F. c. 3. *th.* 3.) Novum est, quod vel Novum, Vasallus ipse de novo acquisivit 2. *f.* 12. sive cujus causam Vasallus ab alio non habet, quam a se ipso Borch. c. 4. n. 2. Hartm.

Hartm. P. *Lib. 2. qu. 4. n. 2.* & Domino conferente Vultej. *c. 8. n. 4.* Vetus est, quod Pater vel Majores acquisiverunt, & jure successionis ad aliquem devolutum est. Struv. *c. 3. th. 2.* five ejus causam quis non habet a se ipso; sed ab eo, qui primus feudum acquisivit *2. f. 11. 1. f. 1.* *Ein Väterlich, Alt-Väterlich, Ubr-alt-Väterlich Lehn*, Item *ein Stamm-Lehen*. Quo ipso subdivisionem Feudi Veteris in Antiquum & Paternum (Illo Dd. indigitant feudum ab aliquo Ascendentium ultra quartum gradum, hoc, ab aliquo infra illum, acquisitum) exclusam volumus, cum hoc & illud in Jure feudali synonymice dicantur *2. f. 50.* atque effective nil differant Struv. *c. 3. th. 2. n. 1.* Rhetius *Com. J. F. p. 338. n. 1.* Ludw. *c. 3. n. 47.* Ad obft. textum *1. f. 8. §. hoc quoque.* vide Stryck. in *Ex. J. F. c. 3. g. 11.* accuratissime respondentem. Ratione acquisitionis etiam feudum in Masculinum, & Fœmininum dividi solet; Illud est, quod a Masculo primum acquisitum, five in eo succedant masculi solum, five ex pacto etiam fœminæ. Hoc, quod a fœmina primam originem traxit, ubi fœminæ etiam succedunt, non extantibus tamen masculis *2. f. 30. & 2. f. 11.* Sed cum fœminæ contra communem feudi naturam ad feuda admittantur, Vultej. *Lib. 1. c. 8. n. 38. & 43.* Stryck. *c. 3. q. 8.* melius & commodius fœminina feuda ad feuda impropria referri cum Struvio *c. 4. th. 17.* autumat Stryck. *c. 1.* de quibus etiam vide infra *§. 16.*

XI. II. Ratione objecti aliud est Ecclesiasticum, aliud *vel Eccle-* *siasticum,* Seculare. Illud est, quod in rebus ad Ecclesiam pertinentibus constituitur *2. f. 35.* Germanis dicitur: *Ein Pfaffen-Lehn, ein Krumstäbisch Lehn, ein Lehn vom krummen Stabe*, ab incurvato, quod Episcopi utuntur baculo, per quem doctrinæ autoritatem & restrictam Episcoporum potestatem denotari dicit Finckel. *Disp. 2. th. 5.* Hinc nota regula Juris feudalis Alemanici

nici *Krumstab schleust niemand aus*, i. e. feudum podi seu ecclesiasticum a successione neminem, i. e. neutrum sexum excludere. Huc etiam referri posse *das Pfarr-Lehn*, quando quis in suo pago cum Jure Patronatus est investitus, Stryckii *d. c. 3. q. 24.* firma est opinio. Hoc est, quod in re seculari vel profana constituitur *Ein Weltlich-oder Ley-Lehn* Struv. *c. 3. th. 4.* vel Seculare.

XII. III. Ratione formæ obligandi, feudum aliud est *Ligium*, aliud non *ligium*. *Ligium* est, ubi Vasallus contra omnes obstringitur *2. f. 99. Schneidew. p. 1. m. 42.* Non *Ligium* est, ubi non indistincte, sed hoc vel illo, e. g. Imperatore, Rege, Principe excepto, Vasallus Domino fidelitatem promittit *Ludw. p. 62.* Exemplum vide apud Stryck. *c. 3. q. 44.* vel non Ligium.

XIII. IV. Ratione situs sive adjuncti Loci, feudum est vel in Curte vel in Curte, vel extra Curtem Domini *1. f. 5. in fin. vers. Domini, Item si quis feudum.* Illud est, quod Vasallo constituitur in territorio Domini; cum Curtis vox arg. *1. f. 18. in fin. princ.* per territorium hic sit explicanda. Hoc autem est, quod in prædio, quod in alieno territorio Dominus habet, *Ludw. d. l.* vel extra Curtem.

XIV. V. Ratione effectus vel adjunctæ qualitatis feudum proprium dividitur in *Nobile & ignobile*. *Nobile* est, quod datur ab eo, qui & potestate & voluntate nobilitandi præditus est. *Niell. disp. F. 1. & 7. lit. C. Arum. disp. F. 2. th. 46.* Quæ voluntas ex literis investituræ cognoscenda: Et si illa ex his perspicere non potest, tunc in dubio, Vasallo cum feudo nobili nobilitas concessa, ex tacita voluntate infeudantis præsumitur *Anton. c. 1. th. 6. lit. b.* Quamvis hodie etiam diploma Nobilitatis separatim expresse requiratur, ex Cancellaria intra 3. menses sub poena amissionis redimendum *Cap. Leop. art. 45.* *Nobile* iterum est vel *Regale* vel *non-Regale*. *Regale* est, quod Imperator vel Princeps Superiorum vel Nobile, vel Ignobile. Nobile est vel Regale, vel non Regale.

*Regale  
quid?*

rem non recognoscens, cum dignitate regali, seu Jure exercendi Regalia concedit Vultej. c. 8. n. 10. Borch. c. 4. n. 12. Cujus generis sunt ex Ecclesiasticis : feuda Archi-Episcoporum & Electorum, Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, Præpositorum 1. f. 1. Ex Secularibus : Electorum, Archi-Ducum, Ducum, Marchionum & ceterorum Principum, Comitum etc. Et hæc feuda Regalia, ex eo quod olim per Sceptrum & vexillum concedebantur, (scil. ut illo Laici, hoc vero Clerici investiti fuerint) *Scepter-und Fabren-Lehn* vocabantur. Quamvis non negandum, hunc investiendi modum penitus exolevisse, hodieque omnia omnino feuda Regalia, gladio, cujus capulum Vasallus præstito Juramento osculari tenetur, ab Imperatore dispensari.

*Non Regale  
quid?*

*Nobile non Regale* feudum est, quod concessum est ab Imperatore vel Supremo Principe, cui nobilitandi Jus competit, sine dignitate tamen Regali Vultej. c. 8. n. 10. Ludw. pag. 46. Hujusmodi feuda possident, qui de civitate aliqua vel pago cum Jurisdictione & aliis privilegiis ab Imperatore vel Regni Capitaneis (de quibus paulo infra) sunt investiti 2. f. 10. Ignobile feudum est, quod datur absque nobilitate ab eo, qui vel noluit, vel non potuit nobilitatem simul tribuere Vultj. d. l. p. 269. Vocatur

*Ignobile  
quid?*

alias Burgense, *Ein Burger-oder Bauer-Lehn*, investiti autem Regni Valvasores minores. Tale feudum etiam si possideat Nobilis, tamen exinde non fit nobile, sed manet ignobile: sicut & vice versa possessor feudi Nobilis, *Eines Ritter-Guths* sine voluntate nobilitandi concessi, nequaquam exinde consequitur jura Nobilitatis. Quod tantum de illis Juribus Nobilitatis est exaudiendum, quæ personæ coherent, v. g. dignitate, præcedentia, &c. illa enim quæ ipsi Feudo sunt annexa, e. g. Jus Venandi, Jus Patronatus, &c. utiq; & Jure summo nanciscitur talismodi possessor. Stryck. E. J. F. c. 3. qu. 38. Et hæc de Speciebus feudi proprii.

XV. Sequi-

XV. Sequitur, ut simili ratione feuda impropria recensamus, de quibus integrum tractatum vulgavit Joh. Wurm-<sup>Improprium</sup>ferus. Est autem feudum improprium, ut supra §. 9. <sup>quid?</sup> in f. notavi, quod non per omnia communem & propriam feudi naturam sequitur, sed aliqua sui parte ab illa recedit. Hinc vocatur Zasio degenerans. Degenerat autem vel ex ipsa Juris feudalis dispositione, vel ex pacto Contrahentium. Sic e. gr. Feuda Guardix, Gastaldix, Soldatæ, de Camera, de Cavena & quæ officii intuitu sunt concessa, atque adeo temporalia, sunt impropria ex ipsa Juris feudalis dispositione, & respectu scil. communis feudorum naturæ, quæ est, ut feuda sint perpetua. In aliis autem feudis e. gr. in Conditionatis receditur a communi natura pacto vel conventionem, qua, cum alioquin futura essent propria, sunt impropria. Ex quibus concluditur (1.) quod feudum improprium in reliquis capitibus, in quibus nil Juris feudalis dispositione, aut pacto mutatum est, proprii feudi naturam retineat, cum pactum super una re interpositum, ad aliam non extendatur l. 17. *init. ff. de pact. l. 31. C. de Transact.* Hinc Schrader p. 2. c. 4. n. 73. dicit, quod feudum in aliquibus degenerans nihilominus in omnibus aliis feudi proprii naturam retineat: *Cum degeneracionis gradus observandi sint: aliud enim feudum in uno solo, aliud in duobus, aliud in tribus, quatuor aut quinque degenerat, inquitente Rosenthal. c. 2. concl. 65. n. 6. & (2) quod quodlibet feudum in dubio præsumatur proprium, nisi liquido contrarium demonstretur; cum qualitates, quæ cuique rei ex legis dispositione inesse debent, in dubio semper inesse præsumantur Rosenthal. cap. 2. concl. 54. Vultej. 1. f. 8. n. 52.*

XVI. Feudi improprii autem tot species constitui posse, quot modis a propria feudi natura recedere licet, notat <sup>Ejus spec-</sup>Hunn. c. 6. in f. *divis.* 8. Nos ductu & ordine Strykii in E. F. F. observato nunc illa sistimus. In his autem agmen ducit

Feudum Foemininum.

Feudum foemininum, Germ. *Ein Weiblich-Weiber-oder Kunkel-Lehn*: Item *Ein Schleyer-Lehn*, quod primitus a foemina est acquisitum sive de quo foemina primo omnium est investita 2. f. 30. 2. f. 50. quod respectu descendantium postea vocatur maternum 1. f. 15. Inter impropria autem est referendum ideo, quod foemina ad servitia inhabilis 2. f. 36. *in fin.* non sit regulariter feudi capax, uti supra §. 10. *in fin.* notatum, insuperque nubendo mutet familiam, cujus respectu tamen primario feuda plerumque dari solent. Stryck. c. 4. q. 4. Sed amplius hic sciendum est, per foemininum feudum abusive & improprie etiam tale denotari feudum, in quo foemina ex pacto succedit, licet masculus primus fuerit acquirens. Cujus confusionis evitanda gratia bene hinc Stryckius c. 4. qu. 7. additans Bitch. *Comm. Jur. feud. ad 2. f. 30. p. 559.* distinguendum putat, inter feudum foemininum & foeminae. Illud est nostrae significationis & hujus loci, quod scilicet originem passivam a foemina habet: Hoc autem est, quod ad foeminam pervenit ex pacto. Et ex haecce promiscua hujus Vocis usurpatione, quam tamen teste Anton. *disp. 1. 7. lit. h.* usus approbavit, Error subnatus sine dubio videtur, quem multi erraverunt, putantes hoc foemininum cum haereditario coincidere, adeoque omne haereditarium, imprimis si concessio sit facta voce illa: *zum Erb-Lehn*, esse foemininum, cum tamen haec separata sint, & foeminae in omni feudo haereditario nequaquam indistincte succedant: sed tum demum, si hoc eam habeat naturam, ut ad quoscunque haeredes transeat, uti sentit Rosenth. *Syn. feud. c. 2. concl. 7. n. 2.* Coronidis loco tandem hic addere placet, Stryckium c. 4. qu. 11. adhuc aliud feudum improprium, ipsi mixtum appellatum, i. e. quod partim foemininum, partim masculinum est, proposuisse, de quo scilicet & masculus & foemina primitus simul investiti sunt; Quamvis hoc mixtum, speciem novam feudi, ipse Autor d. l. non ausus fuerit nominare.

XVII.



XVII. Inter Improperia feuda communiter DD. porro *Emititium* referunt Emititium, quod scil. pecunia mediante primus acquirens sibi comparavit. Circa quod Feudistæ duas ut plurimum quaestiones movent, 1) an Emititium feudum jure subsistere possit? Qui negant, adducunt, quod feudum sit beneficium, cujus natura pecuniam respuit, & deinde textum *l. f. 27.* ubi feuda ex amore & honore Domini, non sub prætextu pecuniae acquiri oportere, dicuntur. Sed verior est affirmantium sententia, quod non solum per Vasallum & a Vasallo suo, interveniente Domini consensu, emi ac vendi, sed & ab initio res aliqua a Domino in feudum pretio interveniente dari possit. Rosenth. *c. 2. concl. 61.* Quæ opinio etiam, Baldo teste, consuetudine est recepta. Cum, ut ad objectam rationem regeram, beneficium ideo, quod pecunia intervenerit, non desinat esse beneficium, & beneficium esse possit, licet non sit gratuitum, uti videmus in *L. 3. ff. de Obsequ. Parent. & Patron. prest.* Ad obstantem autem *tx. 1. f. 27.* respondeatur: illum loqui de casu, quando pactum legis commissoria sit appositum: E. gr. Si propter pecuniam mutuo acceptam tibi hoc pacto fundum meum oppignoravero, ut, nisi stato tempore solvero, is tibi sit feudalis. Tale enim pactum neque jure civili in *L. f. C. de pact. pign.* neque feudali *d. 1. f. 27.* validum esset; & 2) an feudum emititium non potius sit proprium quam improprum? Affirmat id cum pluribus Stryck. *c. 4. q. 14.* ex ea potissimum ratione, quod hoc feudum in omnibus aliis placitis feudalibus sub recta & simplici feudi natura, (excepto eo solo, quod non sit gratuitum) contineatur: Insuperque emitio, quæ quasi extrinsecus accedit, eam feudi naturam non alteret. Sed enim vero cum feudum emititium ideo, quod ad feudi proprii naturam propius accedat, mere proprium tamen revera dici non possit, deinde etiam beneficium

Jure feudali semper debeat esse gratuitum : Sufficit vel unica hac exceptione, Regulæ universalitatem ( ut ita loquar ) infringi, & vel solum pretium interveniens, quod tã esse toti contractui dedit, ex regulari feudo, irregulare atque improprium efficere potuisse.

*Pignoratitium.* XVIII. Feudis Impropris amplius accensendum venit Pignoratitium, de quo Dominus certa pecuniæ summa accepta, & reservata sibi reluendi facultate, aliquem investit, Germ. *ein Pfand-Lehn*. Hoc feudum tali pacto constitutum, quamprimum Dominus pecuniæ istam summam, quam in investitura se accepisse fatetur, reddiderit, statim expirat. Rosenthal. c. 2. *concl.* 77. n. 1. Et quia temporarium hoc feudum tantum est, idcirco a quovis hærede, etiam foemina, usque ad restitutionem pretii, detineri potest, quamvis & hoc per pactum etiam ad solos masculos restringi posse testetur Stryck. c. 4. *qu.* 16. qui ceteroquin, feudum hoc, cum illo, quod quis pignoris jure detinet, *Pfandes-Einhaber*, non confundendum, *qu.* 15. admonet.

*Oblatum.* XIX. Ordine nunc succedit aliud improprium feudum, scilicet oblatum, quod obtinet, quando mea res mihi ipsi in feudum datur, sive, quando ego illam a superiore ita recognosco, ac si eam ab illo, feudi nomine, acceperim : Germ. *ein aufgetragten Lehn*. Cum tali Vafallo, ratione feudi privationis, mitius agendum esse, Stryckii c. 4. *qu.* 17. est sententia desumpta ex Wurmfero *class.* 3. *sect.* 8. n. 8.

*Injuratum.* XX. Classi Impropriorum annumeratur etiam feudum Injuratum, ubi Vafallo juramentum fidelitatis remittitur, 2. *f.* 3. *in fin.* Licet enim fidelitas a feudo nunquam abesse potest, bene tamen remitti potest juramentum fidelitatis, cum absque hoc aliquis fidelis esse queat. Stryck. *quest.* 22. *cap.* 2. vid. etiam supra *f.* 8.

XXI.

XXI. Inter feuda impropria etiam locum obtinent illa, *Pecuniaria.* quæ in re mobili, vel quæ usu consumitur, vel cujus possessio ad Vasallum non transit, ut in feudo Soldator, de quo infra, constituuntur. Stryck. *qu. 21.* Sic e. gr. in pecunia, (licet non Jure feudali, bene tamen moribus) constituitur tale feudum triplici modo: vel quando Dominus pecuniam Vasallo sub fidelitatis lege & sub cautione de tanta summa finito feudo restituenda dat, vel quando Alii Tertio pecuniam sub usuris credit, ut reditus exinde Vasallo solvantur, vel quando ipse Dominus pecuniam retinet, ipseque Vasallo reditus exinde præstat. Quæ feuda Germanice *Lehn-Gelder oder Lehn-Stamm* vocantur, vid. Stryck. *c. 4. qu. 23. 24.* Ita porro alia res mobiles, ( præcipue si ad immobiles referuntur, ut animalia ferrea ) imo etiam usu consumptibiles, sub eadem cautione, de re simili finito feudo restituenda, improprie in feudum concedi possunt. Cum feudum in iisdem rebus possit constitui, in quibus ususfructus vel quasi, hac solum differentia, quod in illo fidelitas accedat, necesse sit.

XXII. Sequitur nunc feudum Francum, a Gallico *Francum.* Franci e. liberum ita appellatum: Germ. *Ein Frey-Lehn.* Quando nimirum ita datur Vasallo, ut ab omnibus omnino servitiis sit immunis. Borch. *c. 4. n. 20.* Ad cujus feudi constitutionem requiritur primo ut dicatur in ipsa investitura expresse, concedi in feudum liberum sive francum, & deinde ut Vasallus ad nulla servitia, nisi ad Juramentum fidelitatis obstringatur. Et si hoc etiam remissum ipsi sit, quod fieri posse supra *f. 8.* & in feudo Injurato *f. 20.* dixi, ut tamen ad omnia ea, quæ alias in juramento fidelitatis continentur vel proponi solent, obligatus Domino maneat. Zaf. *Fr. feud. p. ult. n. 36.* Cum nullus Vasallus liber sit a fidelitate ipsa, & remissio servitorum, relaxationem fidelitatis, quæ est de substantia feudorum, non importet. Quoad cetera feudum francum, proprii feudi naturam

turam in omnibus retinet, ex regula supra §. 15. data. Tandem notandum hic, cum feudo hocce aliqualem connexionem etiam habere *die Sattel-freye-Güter*, quæ a Servitiis Equestribus, (non vero a reliquis) immunitatem Vafallo præstant. vid. Stryck. c. 4. qu. 31.

Conditionatum.

XXIII. Feudum Conditionatum Germ. *Ein Satz-oder Setz-Lehn, das gesetzte oder bediengte Dienste hat*, nunc in scenam producendum. Est autem illud, quod non tam sub conditione, quam sub moderatione servitiorum investitura nominatim expressorum conceditur: ubi omne scilicet onus ad unum tantum alterumve servitium est restrictum 2. f. 2. §. ult. De ridiculis servitiis interim vide Befold. *Thef. Pr. voce: Lehndienst*. Improprrium autem hoc feudum Conditionatum esse exinde constat, quod natura feudorum incerta requirat servitia, Zaf. p. ult. n. 13. vide etiam supra §. 9. sub. num. 8. quæ tamen hic determinata sunt: In reliquis autem feudi proprii naturam per omnia retinet. Rosenth. c. 2. concl. 65. n. 3.

Castrense.

XXIV. Et talibus feudis annumeratur præcipue Feudum Castrense vel Burgaticum, Vulgo *Ein Burg-Lehn*, quod Dominus eo pacto Vafallo concessit, ut is ad defendendum suum castrum sive oppidum tempore belli, vel alterius imminenti infortunii, Ipsi succurrere teneatur Schrader. p. 2. c. 4. n. 17. Et huc etiam spectant pacta Ganerbinatus, quæ erant inter diversas familias inita, mutuamque defensionem involventia *Burg-Lehn heißen solche Lehn, da ihrer viel Edelleuthe oder Ganerben wie mans sonst nennt, in einer Burg oder Schloß zusammen haben Lehn und Lehns-Recht von Fürsten und Herrn, denen die Burg zugehört*: Quæ verba ex Jure Sax. desumpta tradit Wurmf. cl. 3. sect. 21. n. 23.

Palatina

XXV. Nec non feuda Palatina, Vulgo *Hoff-Lehn*: Quando e. gr. Imperator, Dux vel Comes aliquem de feudo eo pacto

cto

cto investit, ut is ratione hujus feudi fungatur in sua aula munere Dapiferi, Pincernæ, Marefchalli, Camerarii &c. Schrader. *d. c. n. 54.*

XXVI. Porro sequitur feudum Censuale siue Pensio-<sup>Censuale f.</sup> narium, *ein Zins-Lehn*, tanquam Improprrium, ubi Vasallo <sup>Personarium.</sup> loco servitiorum certus census vel pensio quotannis solvenda incumbit. Stryck. *c. 4. qu. 35.*

XXVII. Similiter Feudum Laudemiale, quando lo-<sup>Laudemiale</sup> co servitiorum vel Laudemium seu canon certus solum & priva- tive, vel servitia & canon simul & cumulative præstantur. Stryck. *d. c. 4. qu. 36.*

XXVIII. Vt & Quaternatum, Germanice *Taffel-Quaterna-* <sup>tum.</sup> *Lehn*, ubi loco servitiorum ad mensam siue sustentationem Domini necessaria a Vasallo suppeditantur: More a Regno Neapolitano & Siculorum desumpto, ubi Vasalli in quaternionibus i. e. Regiftris Regiæ Curiaë annotati erant, qui loco servitiorum fruges ad mensam Domini afferre tenebantur. *Constit. Sicul. lib. 1. tit. 48. §. 85.* adde Rosenth. *c. 2. concl. 79. n. 3.* Et huc referre quidam volunt feuda Culinaria, *die Kuchen-Lehn*, <sup>Culinare.</sup> quorum possessores singulis annis quædam ad culinam Imperialem præstare oportet. Stryck. *c. 4. qu. 37.* Talia dari in Norica terra, ex Ord. Dicast. Imp. Aulici, *aus der Reichs-Hoff-Raths-Ordnung*, constat: vid. *tit. 3. §. 11. verb: In der Nürnbergischen Einwohnner geringer Kuchl-Lehn.*

XXIX. Feudum Guardiaë, quod ita dicitur a Germanorum *Warten*, datur illi, quem Dominus prædio, castro, siue palatio Custodem præposuit, ea conditione, ut illud guardet, i. e. custodiat, & fructus exinde percipiat. Hinc Vasallus sæpenumero etiam Guardianus, *ein Burg-Voigt*, appellatur. Stryck. *qu. 38.*

XXX. Feudum Gastaldiaë datur Gastaldo, i. e. Gubernatori domus aut rei familiaris, pro Administratione prædii, domus vel negotiorum Domini. *1. f. 2. Stryck. qu. 39.*

C

XXXI. Feu-

- Advocatie.* XXXI. Feudum Advocatiæ dupliciter sumitur, 1) pro eo feudo, quod Dominus alicui pro patrocinio sive consilio in Ipsiis causis præstito concedit. Schrader. *p. 2. c. 4. n. 23.* Cui Affine est feudum Cancellariatus, dum Princeps seu Dominus Cancellario suo pro suo labore feudum concedit. Schrader. *d. l. n. 24.* & 2) pro tali feudo, quod pro defensione provincie vel urbis vel ecclesie alicui committitur. arg. *2. f. 27. §. 8.* Hos Germani vocant *die Schutz- und Schirm-Herren.* Stryck. *q. 40.*
- Apertura.* XXXII. Feudum Aperibile sive Aperturæ, *ein auffgebig Lehn*, est, quando Vasallus loco servitorum Domino castrum, arcem vel civitatem aut semper aut belli aut aliis certis temporibus aperire tenetur. Stryck. *qu. 42.*
- Habitatio- nis.* XXXIII. Feudum Habitationis est, quod Vasallo cum jure inhabitandi certas ædes, palatium vel castrum sub conditione fidei conceditur: & finitur morte Accipientis. *2. f. 105.* ut & deserta habitatione. *2. f. 75.*
- Soldata.* XXXIV. Feudum Soldatæ est, quando Dominus Vasallo annuatim aliquid ad sustentationem vitæ necessarium (sive id consistat in pecunia sive in re consumptibili) sub lege fidei gratuito præstat: *2. f. 10. in f.* & similiter morte Accipientis finitur. *d. 2. f. 10. in f.* Et hoc feudum Stryckius *qu. 55.* vocat *Gnaden-Gelder*, licet dissentiat Rosenthal *c. 2. concl. 75. n. 7.*
- Camera.* XXXV. Feudum de Camera, *ein Cammer-Lehn oder Mann-Geld*, est species Feudi Soldatæ, & obtinet, quando Princeps alicui certam pecuniæ summam annuatim ex Camera i. e. Erario suo percipiendam sub lege fidei vel servitorum concedit: *wem ein Fürst einem jährlich etliche Gulden aus seiner Cammer zu reichen, zu einem rechten Mann-Lehn verschreibet.* vel etiam, si de Vectigali in certo loco percipiendo, vel

vel de alio reditu pecuniario, qui in Cameram Principis inferri solet, aliquem investit. Quod morte Accipientis finitur.

XXXVI. Feudum de Cavena, itidem species Feudi *Cavena.* Soldatæ est, quando Vasallus ex Principis Cavena, i. e. Cella & Horreo, certos redditus fructuum, i. e. aliquot modios frumenti aut amphoras vini singulis annis sub lege fidei & servitiorum accipit. 2. f. 10. Hoc feudum per omnia ejusdem est naturæ, cujus est feudum Cameræ. Non solvitur autem ista quantitas, si Cavena Principis est evacuata & Camera ære alieno pressa. Si tamen postea Camera vel Cavena Domini abundare pecunia vel frumento vel vino cœperit, tunc non tantum promissa quantitas sequentium annorum, sed & præcedentium, quibus hæc quantitas propter inopiam solvi non potuit, integre solvenda est. Rosenth. c. 2. concl. 76. n. 1. 2. & 4.

XXXVII. Tandem etiam inter feuda impropria nu- *Heredita-*  
merandum adhuc est feudum hereditarium, quod alicui pro se *vium.*  
& heredibus quibuscunque est concessum. Germanice *ein eigenthümlich Lehn-Guth, ein Erb-Lehn vor sich und seine Erben*: ubi perinde ut in Allodialibus successio, imo etiam in Extraneum, competit. Hæc vox *pro heredibus quibuscunque* efficit principaliter hujus feudi improprietatem (ut ita loquar) cum Jure feudali non omnes heredes, sed saltem a primo Acquirente sanguinem trahentes & feudorum capaces succedant. Huic feudo *mere hereditario* opponitur feudum *ex pacto* & *Cui opponi-*  
*providentia*, quod concessum alicui pro se & filiis nulla facta *tur feu-um*  
heredum mentione, *Mann-Lehn vor sich und seine Männliche* *ex pacto &*  
*Ehlich-gebobrne Leibs-Lehns-Erben*. Et in hoc succeditur *providentia.*  
(non ut supra secundum Jus commune, sed) secundum Jus feudale & Jus sanguinis, scilicet ex pacto primi acquirentis, & ex providentia seu dispositione Juris feudalis. Stryck. qu. 48. Et hoc feudum ex pacto & providentia, quin ad Propriorum  
C 2 classem

classe sit referendum, quorum quippe omnia requisita habet, nullum est dubium: Quod autem hic loci id tractaverim, exinde factum est, quia de hoc non alio commodiore loco, quam ubi de feudis hereditariis agitur, quibus feuda ex pacto & providentia e diametro opponuntur, agi potuit. Alii adhuc hic mixtum feudum addunt, de quo vid. Stryck. c. 4. qu. 50.

*Alienabile.*

XXXVIII. Agmen Improproprium ultimo loco claudat Feudum alienabile, in quo Vassallus feudum in quemcunque alienandi vel transferendi potestatem habet 2. f. 48. quod utique natura feudorum abhorret 2. f. 52. de *prohib. feud. alienat. per Lotharium.* 2. f. 55. de *prohib. feud. alienat. per Eri-dericum.* Hujus feudi exemplum habet Stryck. c. 4. qu. 53. quod nempe in Lusatia Nobiles ex Privilegio Ferdinandi I. feuda sibi invicem sine consensu vendere possint, sed non extraneis. Et hæc de feudis impropriis, quibus alii alia addunt; cum enim omnia pactis sint mutabilia, idcirco certus eorum numerus vel indoles definiri non potest.

*Qui feuda dare possunt.*

*Sunt vel Ecclesiastici.*

XXXIX. Vis feudorum speciebus Divisionibusque sequuntur nunc, ordine Feudistis quasi communi & recepto, Personæ, quæ nimirum vel feuda dare vel accipere possunt. De Personis conferentibus regulam habemus 2. f. 3. quod feudum dare possit omnis, qui res suas libere administrare atque alienare potest. Quæ regulâ etiâ in l. 21. C. *mand. & l. 14. C. de contr. emt.* est fundata. Hinc dubium non est, quin tam Ecclesiasticis quam Secularibus feuda dare, concessum sit. Quod Ecclesiasticos attinet, inter illôs eminet Papa, qui omnium rerum Ecclesiasticarum habet arbitrium & indistincte feuda concedere potest: quamvis Aliqui Doctorum propter c. 17. §. *Decet. de Elect. in 6.* autument, Ipsi in re majoris momenti in feudum danda, Cardinalium consensu esse opus. Reliqui Ecclesiastici, ut Patriarchæ, Archi-Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Præpo-



Præpositi &c. similiter possunt, si res fuerit in feudum dari solita. (quod tamen limitatur, si Ecclesiæ summa necessitas, e. g. quia est depauperata, exegerit, ne iterum reinfeudetur Ludw. in Synops. p. 104.) Si vero non res fuerit in feudum dari solita, tunc videndum, an res sit propria *Prælatorum*, quo Casu liberæ horum dispositioni subjacent, cum quilibet rerum suarum sit moderator & arbiter per l. 21. C. *Mandat.* (nisi Ipsi bona sua Ecclesiæ incorporaverint, ut Monachi, qui nihil habent proprii *auth. Ingress. C. de SS. Eccles.*) an vero *Ecclesiæ*: Si sunt *Res Ecclesiæ & quidem titulate*, i. e. cui res sub titulo personarum & fructuum Ecclesiasticorum est adscripta, sive cujus res ad sustentationem Clericorum sunt destinatae, tunc nullatenus in feudum dari potest, & de hoc casu exaudiendus est textus l. f. 6. ne Clerici titulo seu bonis careant, quibus dignitatem suam tueantur c. 4. & 10. de *præb. & dign.* Si vero sunt *Ecclesiæ Libere*, in harum alienatione semper vel Pontificis vel Capituli consensus est necessarius, quamvis aliud sæpe absconse agatur, ut loquitur Feudista l. f. 26. in *fin. pr. c. ult. X. de reb. Eccles. alien. vel non.*

XL. *Seculares omnes sine distinctione conditionis possunt res suas in feudum dare.* Quis enim unquam de Imperatore, vel Rege, qui quidem soli Regalia feuda conferre possunt, l. f. 14. vel Electore, Duce, Marchione, Principe, Comite, Barone vel Nobili, quorum nomina explicat Curt. de *feud. Laticor. p. 2. qu. 2* si liberam rerum suarum administrationem habent, dubitaverit, tali potestate de rebus suis feuda dandi, Eos præditos non esse? l. f. 1. Ubi notandum in d. r. f. 1. Duces, Marchiones Comitesque, Regis sive Regni Capitaneos, (i. e. Proceres & Principes Regni sive Status Stricky. c. 5. qu. 12.) dici; quos sequuntur Valvafores majores, qui a Capitaneis feudo sine Regali dignitate, & de plebe aliqua, ut

urbe, castro &c. sunt investiti 2. f. 10. (& Hi possunt quandoque ejusdem esse dignitatis cum Capitaneis, sicuti etiam hoc nomine aliquoties Jure feudali veniunt, sed improprie tantum, respectu Minorum Valvasorum Stryck. c. 6. q. 72. qui dicit: Autor Nobiles immediatos quodammodo comparari posse cum Valvasoribus Majoribus autumat,) deinde Valvasores minores qui a Majoribus, (quales Valvasores minores in Germania Nobiles videri posse, quorundam est sententia,) Et Valvasini, qui a minoribus investuntur. Borcholt. c. 4. n. 14. & c. 5. n. 40. Et his omnibus hæc potestas minime denegatur. Idem de plebejis, privatis, quin & Rusticis, dicendum Borcholt. d. c. 5. n. 41. Licet de Rustico adhuc a Niell. *disp.* 2. th. 1. Curt. p. 2. qu. 2. alisque dubitatum fuerit, occasione 1. f. 1. ubi inter personas feuda dantes non recensentur plebeji: Satisfecit tamen illis Ruding. *lib.* 1. c. 19. Carpz. *disp.* 2. th. 8. & Hunn. c. 7. p. 103. respondendo, textum illum enumeratione certarum personarum, reliquas non excludere, cum ex Regula Philosophorum propria, unius positio non statim sit alterius exclusio; alias enim sequeretur, nec Imperatorem, nec Papam, nec Ecclesie Antitistes, qui tamen Episcopis sunt minores, quorum omnium in d. 1. f. 1. nulla est facta mentio, in feuda conferre res suas proprias posse, quod tamen absurdum foret. Insuper hanc sententiam & Juri Saxónico conformem esse ex Schrader. p. 4. c. 1. n. 57. notat Schulz. c. 4. n. 26. Immo Rusticum, Dominum suum Directum, a quo feudum possidet, etiam Vasallagii nexu sibi obligatum habere posse, in Jure feudali haud paradoxum est: Sicuti id in Nobilibus, qui Electores Principesque, tanquam Dominos suos alias directos, nihilominus tamen etiam ut Vasallos sibi obligatos norunt, sæpius accidere solet. Quo casu quippe, Dominus & respectivo Vasallus præter Juramentum fidelitatis, servitia vel nulla, si feudum francum est, vel per procuratorem

rem

rem præstat. Et hunc casum in terminis, in Palatinatu Superiore in Dn. de H. cum EE. B. & P. obtinuisse, ex Discursu Consult. Spizii me audivisse memini. Hinc Papam ab Ecclesiis feuda capere, dicit Zas. *p. 5. n. 75.* Imperatorem autem a Comitibus Vultej. qui hoc *lib. 1. c. 4. n. 9.* pluribus illustrat exemplis.

XLI. Ut itaque dignitatis distinctio nulla in feuda dantibus locum habet, Schrader. *d.p. 4. c. 1. n. 57.* ita nec Sexus. Sic scæmina feuda dare potest, utut Jure Longobardico in perpetua tutela sit Ardiz. *summ. feud. c. 9. in fin.* & sine tutore nil alienare possit Gothofr. *ad 2. f. 3. §. 1. vers. feminam* (quod adhuc hodie Jure Saxonico observatur *Const. Aug. p. 2.* a quo tamen excipi Illustres Schulzii *in syn. feud. c. 4. n. 28.* est sententia) neq; etiam Jurisdictionis habeatur capax *l. 12. §. 2. ff. de Judic. l. 2. ff. de R. J.* attamen cum Jus Longobardicum per jura feudalia noviora correctum sit, Jurisdictio item Jure Civili, non vero Feudali & Canonico ipsi sit interdicta *2. f. 17. c. dilecti 4. X. de arbitr. c. 36. de Rescrip. & Gloss.* idcirco firma manet nostra sententia, confirmata insuper regula generali *2. f. 3. pr. & textu 2. f. 3. §. 1. vers. feminam.*

*Etiam scæmina.*

XLII. Similiter possunt in feudum dare Procuratores *2. Et etiam f. 3.* si quidem speciale mandatum ad infeudandum a Domino habent. Reliqui Procuratores, etiamsi univerforum bonorum *Procuratores respecti- ve.* & cum libera, feuda nova concedere non possunt, nisi ad utilitatem Domini oppido hoc fiat. Finkelth. *Disp. 5. controv. 12. Ludw. c. 5. p. 39.* vetera tamen renovare valent. Finkelth. *d. l.*

XLIII. Paucis nunc attingenda contraria i. e. illa personæ, quæ res suas in feudum dare prohibentur. Prohibentur autem infeudare, uti modo dixi, respectively Procuratores aliarumque rerum Administratores. Finkelth. *d. l.* Porro Syndici, Tutores, Curatores, Prodigii, Furiosi, mente capti, Infantes, Servi, homines proprii, Mutus & Surdus, *arg. §. 4. J. de Curat. patriæ* pote-

*Qui infeudare non possunt.*

potestati Subjecti, quod tamen intelligendum de peculio adventitio & profectio: de Castrensi enim & quasi, in quibus loco Patrumfam. habentur l. 3. C. de castrens. pec. infeudare possunt. Deinde Pupillus vel Minor; qui quidem ne Tutoris vel Curatoris autoritate possunt, nisi decretum Magistratus expresse accesserit t. t. de reb. eor. qui sub cur. & tit. C. de præd. & aliis reb. minorum sine decreto non alienand. Quod limitatur tamen, si dignitas Minoris aliud suadeat & persona conferens sit v. gr. Princeps vel alia persona illustris arg. l. 12. §. 2. de admin. tut. l. 7. §. 3. ff. de donat. Gail. 2. obs. 72. n. 8. vel si Minor juraverit se investituræ non contraventurum, arg. auth. Sacramenta. puberum. C. si advers. vend. vel si eam rem, quam Pater, vel alius, cui successit, in feudum promisit, præstet l. 5. §. 4. de reb. eor. qui sub tut. vel si singulari Principis privilegio Minori hoc sit permissum, vel si magna utilitas aut necessitas id exigat, vel denique, si feudum antiquum saltem investitura renovaverit Borch. c. 5. n. 43. tunc enim in his casibus omnibus, etiam non intercedente Magistratus decreto, infeudare Minor poterit. Senes etiam nonnulli huc referunt, sed male, nisi senectus rationis simul usum sustulerit, Bald. ad l. 3. C. qui test. fac. poss. Amplius infeudare non possunt Hæretici l. 4. §. 3. C. de Hæret. & Man. Apostata l. 4. C. de Apost. Rei Criminis læsæ Maj. l. f. C. ad L. Iul. Maj. ibi: nec alienare. l. 15. ff. de donat. Banniti & alii de Crimine publico damnati. Rosenthal. c. 3. concl. 19.

Qui feuda  
acquirere  
possint.

XLIV. Acquirentes feudum communi nomine Vasalli dicti 2. f. 12. 14. & passim, Item Milites 1. f. 22. Fideles. 1. f. 1. §. & quia. 1. & 1. f. 4. §. 5. si quis. Beneficarii 1. f. 20. Clientuli 1. f. 10. Feudatarii Constit. Henrici II. de caus. feud. amitt. Valvasores; sunt omnes, qui non expresse prohibiti sunt 2. f. 3. §. 1. non attenda vel conditionis, sexus, ætatis,

tis, qualitatis & dignitatis ratione. Sic Clericus feudum acquirere potest, licet Vafallus, Clericus postea factus amittat feudum 2. f. 26. §. 4. Simili ratione & Monachus, hoc tamen modo, ut illud monasterio acquirat, cum nihil habeat proprii *auth. Ingressi C. de SS. Eccles.* Porro etiam Ecclesia, licet nunquam mori dicatur & sic nulla spes sit feudum ad Dominum reverfurum. De scemina, ex iis, quæ jam supra passim dicta sunt, prorsus nil residet dubii. Immo & Hermaphroditus recte feudum acquirit, non attenda sexus prærogativa, quæ saltem in successione locum habet Anton. *Disp.* 2. *th.* 6. Infans & pupillus quoque Tutoris autoritate *arg. l.* 18. §. 2. *C. de Jure delib.* quamvis Juramenti præstatio usque ad legitimam ætatem sit differenda. Ita & Minor Vult. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 6. Ludw. 6. *p.* 115. Nec non & Surdus, Mutus & Cæcus, Item prodigus & Furiosus, cum consensu tamen Curatorum *Zaf. p.* 5. *n.* 66. Schneidew. *p.* 3. *n.* 107. Neque refert amplius Nobilis an Ignobilis, Superior an Inferior (vid. supra §. 40. *in fin.*) Filius an Pater Familias, Acquirens sit.

XLV. Prohibiti autem sunt feuda accipere Excommu- Qui Prohi-  
beantur feu-  
da accipere. nicati, Hæretici, Proscripti, Deportati, Usurarii manifesti, Rei Crimini læsæ Majestatis, & omnes de publico Crimine damnati, alioque modo infames 2. f. 37. *pr.* *Wef. c.* 5. *n.* 1.

XLVI. Nunc circa objectum feudorum ut pauca mo- Quæ res in  
feudum dari  
possint. neamus operæ erit pretium; visuri scilicet quænam & quales res in feudum dari solitæ ex præscripto Feudistæ 2. f. 1. sunt triplicis generis, nimirum vel Res Soli, vel Solo cohærentes, vel quæ immobilibus annumerantur, idcirco eas ordine sub incudem rationis vocabimus.

XLVII. Res Soli, quæ etiam res immobiles vocantur, *Res Soli* sunt, quæ in uno eodemque loco semper subsistunt nec moveri possunt.

D

possunt.

possunt. Germ. *Unbewegliche Güter*. Et hæc res soli principem hic sibi vindicant locum, in quibus quippe feuda potissimum & frequenter constituuntur. Talia sunt, v. gr. prædia, regna, Ducatus, fundi, agri, horti &c. l. 8. & 9. ff. *quib. mod. ususfr. amitt.*

*Res Solo co-  
hærentes.*

XLVIII. Res Solo cohærentes sunt, quæ rei immobili tali modo accedunt, ut pro parte ejus habeantur: Sic. e. g. fructus pendentes, qui pars fundi dicuntur l. 44. ff. *de R. Vind.* recte una cum fundo in feudum dantur; imo etiam sine fundo Rosenthal. c. 4. *concl.* 2. Borcholt. c. 6. n. 11. quo casu Vasallus singulis annis tantum renascentes fructus percipit, & horum nomine fidelitatem & servitia præstat. Sic porro ædificia Solo cohærenter nulli dubium est, hinc recte & cum & sine solo in feudum concedi solent Venul. in l. 10. ff. *quod vi aut clam.* Amplius, inter Solo cohærentia annumerantur etiam Molendina, tam pneumatica, quam Aquatica; Imo etiam Navalia sive in Aqua natantia, *Schiff-Mühlen*, cum & hæc terræ alligata sint, & Jus, tale molendinum habendi, semper sit ad certum locum restrictum Struv. c. 6. *th.* 11. n. 5. & 6. Stryck. c. 8. *qu.* 16. De sylvâ idem esto judicium, nec non & de stagnis vel piscina. Et hisce rebus immobilibus in feudum datis, simul quoque in feudum veniunt, quæ perpetui usus causa ibi sunt l. 47. 78. *de contrah. emt.* Sic sylvâ in feudum data, etiam arbores concessæ intelliguntur, & venatio l. 9. §. 5. *de ususfr.* nisi hæc expresse sit excepta Suev. d. 4. *ass.* 8. Sic Domino concessa, etiam supellex perpetui usus causa ibi reposita, & omnia ea, quæ ipsi infixæ sunt, & ad ejus utilitatem quoquo modo tendunt concessæ videntur l. 13. §. f. *de act. emt.* Sic piscina in feudum data & pisces ad Vasallum pertinent, si scilicet perpetuitatis & quotidiani usus causa insunt, aliud enim esset, si custodiae saltem causa Molinæus in *Cons. Paris.* §. 1. *Gloss.* 8. n.

8. n. 17. *Zaf. p. 4. n. 3.* Et hiſce rebus Solo coherentibus Dd. etiam annumerant res incorporales, videlicet Servitutes ruſticas & urbanas, Vectigalia, Jurisdictiones, dignitates & quævis alia Jura: In quibus quippe omnibus feudum recte conſtitui poteſt, immo quandoque etiam absque ſolo Borch. c. 6. n. 17. *Gail. obf. 2. n. 10. Vultej. c. 5. n. 1.*

XLIX. Tandem res, quæ inter immobilia numerantur, & in feudum dari ſolent, Dd. communiter explicant per annuos redditus, qui vel in pecunia conſiſtunt, uti ſit in feudo de Caverna, vel in Vino & frumento, uti ſit in illo de Cavena; de quibus vide ſupra ſ. 35. & 36. Quod autem immobilibus accenſeantur, ratione ararii vel horrei fieri cenſendum eſt, cum alias utique eſſent mobiles Borch. c. 6. n. 13. & 14.

L. Hoc amplius, Mobiles etiam res & uſu conſumtibilis, quarumque poſſeſſio ad Vaſallum nunquam tranſit Stryck. c. 4. qu. 21. in feudum quandoque dari ſolent, uti ſit in feudo Soldata &c. de quo vide ſupra ſ. 34. licet minus proprie, hinc etiam non niſi improprium feudum efficiunt. De Pecunia numerata adhuc dubitabatur, an in illa feudum conſtitui poſſit, cum proprietas apud dantem remanere non poſſit, quod utique contra feudorum naturam eſſet. Sed Enimvero, cum non opus ſit, ut ſemper traditio fiat in manus Vaſalli, cum & Dominus ipſe retinere, & Vaſallo exinde redditus ſolvere poſſit; & deinde ſi traditio fiat, illo tamen ſub cautione Vaſalli, de eadem pecuniæ quantitate reſtituenda fieri poſſit; deniq; Jus concedendi pecuniam & Ejus uſus perceptionem ſit Domino loco proprietatis; uti ſit in caſu, ubi fructus pendentes in feudum ſine ſolo conceſſi ſunt: (vid. ſupr. ſ. 48. ubi Domino, qui ſaltem fructus habet ſine ſolo, Infeudanti, Simile Jus, concedendi nimirum perceptionem fructuum, loco proprietatis remanet.) dicendum erit cum Stryckio c. 4. qu. 22. & 23. Jure feudali equidem in pecunia feudum

dum constitui non posse, bene tamen consuetudine & moribus. Si nim: expressa paciscentium conventio & consensus accesserit; quæ Duo expresse hic requiruntur. Nam *Dadurch wird dem Gelde die Art und Eigenschaft des Erbes benommen und es zu Lehn gemacht, oder in Lehn verwandelt*, ut loquitur *Constit. Elect. Saxon.* 30. Item *daß solchem Gelde, als Lehn, so oft es verfällt, gebührliche Folge geschehen sollte*, expresse additur in literis Investituræ dicente Moller. *ad. dict. Const.* 30. Simile de Consuetudine Marchiæ testatur Köppen. *Decis.* 18. n. 13.

*Quæ res in feudum dari nequeant.*

LI. Non vero omnes res indistincte in feudum dari possunt; Excipiuntur siquidem illæ quarum alienatio est prohibita; hæ enim juxta regulam 2. f. 3. §. 1. contentam, nec per beneficium dari possunt. Prohibentur autem alienari res vel Dispositione Juris vel Hominis. Dispositione Juris & quidem Juris Gentium, res sacræ, Religiosæ, sanctæ, publicæ, communes *arg. §. 1. F. de usucap.* uno verbo, quæ non sunt in commercio, atque adeo per se & sui natura inalienabiles: Quod tamen limitatur, si aliis rebus non sacris in feudum datis, accesserint, tunc enim in consequentiam illarum, quibus accedunt, conceduntur Borch. c. 6. n. 9. Sic v. gr. cum castro, in quo ecclesia est, in feudum dato, simul Ecclesia, & Jus Patronatus concessum videtur c. 7. ✕ *de Jur. Patron.* Dispositione Juris Civilis, Res litigiosæ l. 2. *C. de Litig.* bona Prodigorum, Minorum & Similium §. ult. *F. quib. alien. lic.* Bona adventitia, in quibus Pater usufructum habet §. 1. *F. per quas person.* Item fundus dotalis *pr. F. quib. al. lic.* Dispositione autem hominis res fit inalienabilis pactis & stipulationibus 2. f. 3. & 2. f. 51. & 52. l. ult. *C. de reb. al. non al.* & denique ultima voluntate, quando heredi ex aliqua justa & certa causa alienatio rei alicujus a Testatore est interdicta d. l. ult. *C. & l. 114. §. 14. de Leg. 1.*

LII. Fi-



LII. Finita rerum contemplatione, in quibus feudum <sup>Quomodo</sup> constituitur, pergendum nunc mihi est, ad modum quo feudum <sup>constituatur</sup> constituitur. Priusquam autem id aggrediar, e re erit, pauca quaedam de feudi promissione, quae saepissime illum praecedere solet, praemittere. Est autem Promissio Feudi, de feudo per investituram alicui constituendo, facto conventio, Vernacula <sup>Præcedit</sup> nostra dicitur *Ein Gnaden-Lehn, oder Anvvartung, Anvvartung* <sup>quandoque</sup> *auff eines andern Lehn, Expectanz, & Jure Sax. Ein Geding,* <sup>promissio</sup> a conditione adjecta, si feudum apertum fuerit i. e. ad <sup>de feudo, dicta</sup> Dominum redierit. Et hæc promissio fieri potest tam per conventiones, quam per testamentum, Codicillos, & aliam quamlibet ultimam voluntatem. Tam per contractum gratuitum v. c. donationem, quam onerosum v. c. permutationem, emtionem &c. Expectativa autem dividitur in *certam, Ein benandt Geding,* quando alicui in casum certi alicujus Vasalli sine liberis masculis & agnatis decedentis, de certo prædio fit promissio. Et in *incertam, Ein Irr-Lehn* quando alicui incertum incerti Vasalli promittitur prædium. Promissio certi feudi fit sequenti verborum formula: *Wir bekennen, daß wir unsern lieben getreuen NN. auß sondern Gnaden, damit wir ihm geneigt sind, und in Ansehung seiner unterthänigen getreuen und nützlichen Dienste, die er uns bißhero vielfältig bewiesen, und uns und unsern Erben forthin vwohl thun soll und vrüll, gnädiglich zugesagt und bewilliget, sagen zu und bewilligen auch hiemit in Krafft dieses Brieffs, vor uns und unsere Erben, ihn mit dem Dorff N., vvelches unser auch lieber getreuer NN. von uns zu Lehn trägt, so bald dasselbe uns, als dem rechten Lehn-Heern, vviderum beifallen möchte, gnädiglich zu Beleihen und zu Begaben, vvelches er auch alsdann von uns zum Manns-Lehn empfangen, bemannen und bedienen, auch derovvegen Lehen-Pflicht thun soll: Immaßen be-*

namter NN. und seine Vorfahren allewege vorhin gethan, und sich, laut der alten Lehn-Brieffe, zu thun gebühret, treulich, sonder Gefährde, zu Urkund &c. Sic speciaticim Ao. 1625. 13. Aug. Ferdinandus II. consilio & approbatione Electorum, Electori Sax. Joh. Georgio I. propter singularia ejusdem mérita, imprimis vero seditionis tempore exhibita officia fidelissima, Expectantiam in feuda Comitum de Hanau & Schwarzenburg, itemque Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium concessit; quam postea confirmavit Ferdinandus III. Ao. 1638. 17. Sept. Ejus mentionem facit Linneus *T. 5. J. P. Addit. ad l. 5. c. 15. p. 453.* integram autem Dn. G. F. de Heldorff. Nob. Misn. Calci Dissertationis suae de Jure Expectativæ von *Anwartsungs-Lehn* Argentorati editæ, adjecit ex Schazio a Linneo *d. l.* allegato, qui ejus copiam, ut ipse scribit, ex Archivis Superiorum secura manu accepit, exscriptam: ubi inter alia: *Als haben wir zu gnädiger Erkänntnuß kürztlich angezogener hohen Verdiensten, mit wohlbedachten Muth, gutthen Rath, rechten Wissen, und aus selbeigner Bevegnis obbesagtes unsers Oheimes des Churfürsten zu Sachsen Lld. und allen derselben nachkommenden Männlichen Lehns-Erben, diese besondere Guad gethan, und demselbigen nachfolgende Anwartschaften und Expectanzen, auß Röm. Käysert. Macht, Vollkommenheit, Wissenlich in Krafft dieses Brieffs gegeben und verliehen: Darüber wir auch der Ehrwürdigen, Durchleuchtig-Hochgebohrnen Johann Schurweickarden zu Maynz, Ferdinanden zu Coln, und Philipps Christophen zu Trier, Maximilian Pfalzgrafen bey Rhein, und Georg Wilhelmten Margrafen zu Brandenburg, unsern lieben Neven, Vettern, Schwägern, Oheimen und Churfürsten, approbation und Bewilligung zu erhalten, in keinen Zweifel setzen, als nemlichen &c. &c.* hic sequuntur nomen feuda dictorum Comitum

tum & Ducum nominatim expressa. Promissio incerti feudi concipitur ut plurimum verbis sequentibus: *Wir sprechen und verheissen dir das Lehn, so zum ersten verlediget und uns heimfallen wird, es sey groß oder klein.* Ratione validitatis huiuscemodi promissionis nullum est dubium. Justificatur siquidem per *tx. 1. f. 3. 2. f. 26. §. 2. & 2. f. 35.* & ea, quæ supra adduxi, nimirum, quod feudum per omnia cum usufructu comparetur. Quin autem de hoc, ut post mortem usufructuarii alii cedat, disponi possit, dubium non est *l. 25. ff. de usufr. l. 50. ff. de Leg. 2.* Accedit quod Dominus in concessione Expectantiae, magis de rebus suis & propriis, in eventum mortis possessoris, quam alienis, disponat. Quid autem de illo casu dicendum, ubi Duobus concessa Expectantia est, altioris videtur esse indaginis. Plerique priorem impetranter præferunt, fundamento *l. 5. C. de locat. præd. nitentes.* Quod si tamen prior de feudo incerto, *einem Irr-Lehn*: secundus vero, de illo ipso feudo, quod postea ad Dominum pervenit, *einem benannten Lehn* Expectativam in specie habeat, tunc utique posterior præferendus arg. *c. 38. de præbend. in 6.* Quod confirmat *Lehn-Recht c. 7. ibi: Welcher Herr leihet ein Lehn-Guth einem Mann, vvo es ihm erst ledig wird, (i. e. ein Irr-Lehn) und darnach einem andern leihet, sonst an einem Lehn ein benannt Geding, mit dem Irren-Lehn mag diesen jener sein benannt Geding nicht brechen, vvenn jener stirbt, der das Lehn in Gevvehr hat.* Amplius etiam priori posterior præfertur, si hic possessionem prius acquisiverit arg. *l. 15. C. de R. V. quod Dd. cum certis restrictionibus admittunt.*

LIII. Excussa, vel si mavis delibata, de feudi promissione, materia, nunc considerandus modus, quo feudum constituitur. Modus autem feudum constituendi unicus est, nimirum Investitura. *l. f. 25.* Cui alii Successionem addunt, sed

Feudum  
Constituitur  
Investitura.  
Vera,

sed male, cum per hanc non tam feudum constituitur, quam acquisitione ad alias personas transferatur. Diversa autem esse constituere, & acquirere feudum, exinde clarum est, quod constitutio pertineat ad Dominum conferentem, adquisitio autem solum ad Vasallum feudum accipientem referenda sit, 2. f. 1. *in f.* quamvis mihi ignotum non sit, tot dari Autores, meæ sententiæ Patronos, quot dantur contrarium tenentes, statuentes siquidem synonymice ista vocabula & Jure feudali usurpari. Investitura autem vel Vera est vel Præsumpta; Vera, quæ & investitio, sive investio, 1. f. 28. & infeudatio dicitur, licet quandoque pro instrumento, literis sive scriptura investituræ, *Lehn-Brieff*, accipiatur; hic est ipse actus investiendi, *Germ. die Belehnung oder Lebens-Empfängniß*, 2. f. 2. Et describitur, quod sit actus solennis, quo Dominus Vasallo fidelitatem promittenti rem vel vere vel ficte in feudum confert. arg. 2. f. 2. Ex qua definitione patet, duplicem illam esse, nimirum vel Propriam, vel Abusivam. Propria sive realis est apprehensio corporalis possessionis, quando Dominus Vasallum in fundi possessionem vacuum inducit, & illi eum in feudum dat, *wann er in das Lehn-Gut würeklich gewiesen und eingeführt wird.* Schneidew. p. 4. n. 4. Abusiva sive impropria, vel verbalis est, quæ per porrectionem baculi vel alterius signi corporei a Domino fit, dicente, se animo investiendi hoc facere. 2. f. 2. Hæc signa secundum jusque loci mores & consuetudinem variant, sunt enim quandoque etiam sceptrum, annulus, armilla, pallium, ensis, corona, quæ in Ecclesiasticis ut plurimum obtinent: Item osculum, gladius, vexillum, chirotheca, catenæ, faces ardentes, torques, dextra, libri &c. quæ in Secularibus. Nil vero obest, an ipse Vasallus in persona, an vero per Procuratorem investituram accipiat: sicuti e contrario & Dominus per Mandatarium (quem alicubi

alicubi Præpositum Feudi, Germ. *Lehn-Probst* vocant,) eam dare potest. 2. f. 3. §. *sed utrum*. dummodo legitime & debito modo fiat. Ad quod requiritur devota & humillima Vasalli a Domino investituræ petitio, cum fidelitatis promissione, 2. f. 3. *in fin.* & petitionis legitime factæ subsecuta actualis impetratio, quæ vel testibus vel Instrumento super eam confecto probanda est. Testes ad minimum duo necessarii sunt, 2. f. 2. & quidem masculi, non foemina, 2. f. 32. *in fin.* & Pares Curia, si feudum novum sit, si vero antiquum, etiam extranei recte adhibentur. d. 2. f. 32. Ceterum quomodo hodie feuda & quidem Regalia ab Imperatore conferantur, cum inter omnes constet, insuperque ex Stryckii *Ex. F. F. in appendice* sufficientissime legere sit, de indulgentia adducere superfedeo. vide etiam supra §. 14. Hac de feudi constitutione, quæ fit de novo: nunc videamus de ejusdem acquisitione, quæ fit in veteri vel antiquo feudo.

LIV. Investitura Præsunta sola est præscriptio, quando eim aliquis præscriptione feudi alicujus legitimus possessor effectus est, investitura intervenisse præsumitur, ac si illa vera ipsi feudum constitutum sit. 2. f. 26. §. 4. 2. f. 37. Ad præscriptionem autem requiritur 1) rei possessio continua. l. 25. ff. *de Usucap. c. 3. de R. F. in 6.* 2) bona fides. 2. f. 26. §. 4. & 3) legitimum tempus, scilicet 30. annorum. d. 2. f. 26. §. 4. & 1. f. 28. quod tamen in Ecclesiasticis rebus non sufficit, quæ quippe 40. annis, Schrader. p. 5. c. 4. n. 17. multo minus in Regalibus, quæ tempore immemoriali contra Superiorem præscribuntur. c. 26. §. *præterea. X. de V. S. Rosenth. c. 5. concl. 16. n. 3.* Et tunc præscriptio obtinet non solum respectu Vasalli, si dominium utile, sed & respectu Domini, si dominium directum acquisivit: & hoc modo per præscriptionem ex alodio fit feudum. Stryck. c. 11. qu. 1.

vel præsumpta, quæ est præscriptio.

*Acquiritur  
Successione.*

L V. Acquiritur ( non constituitur ) itaque feudum ( & quidem jam constitutum ) Successione. Hæc autem est duplex, vel Testamentaria, quæ in Jure feudali locum non habet, 1. f. 8. pr. vel Legitima. Et hujus Successionis triplicem ordinem Dd. observandum præcipiunt, scil. vel Descendentium, vel Ascendentium, vel Collateralium. Descendentes sunt liberi, & quidem masculi, qui solum feudorum sunt capaces, exclusis fœminis, 1. f. 1. §. 3. & 2. f. 11. quæ tamen admittuntur 1) si consuetudine loci habiles factæ sunt. c. 36. X. de Rescript. 2) in feudo fœminino, 2. f. 30. & 3) quando in investitura etiam fœminis de successione expresse prospectum est, tunc enim vel masculis omnino nullis extantibus demum 1. f. 1. §. 3. vel etiam cum masculis simul succedunt, si particula CVM nominatim in investitura reperiat. Rosenth. cap. 7. concl. 41. n. 4. Liberi autem si soli sunt, succedunt in feudo æqualiter in capita, non in stirpes, 1. f. 1. §. 1. nisi in feudo Regali, ut Ducatu, Marchionatu &c. quod ad conservandam familiam natu majori cedit. 2. f. 55. §. 1. A. B. c. 7. Licet hoc ipsum non ubivis locorum in Germania observetur, teste Wurmsfer. Exerc. Jur. publ. 2. th. 14. Vasallo decedente, & filios & ex uno præmortuo nepotes relinquire, hi cum illis in stirpes succedunt jure repræsentationis. 1. f. 8. pr. In Nepotum successione, si soli concurrant, idem repræsentationis jus locum habet. Et sic porro in infinitum successio regulanda erit, nisi quaedam personæ prohibeantur: ut, ex incestuoso coitu nati, Nov. 74. c. ult. & omnes extra legitimum torum nati, etiamsi per rescriptum Principis sint legitimati, 2. f. 26. §. naturales. ( quod tamen secus est in legitimatis per subsequens matrimonium, Stryck. c. 15. qu. 38. ) Adoptivi, 2. f. 26. §. Adoptivus. quia feuda sanguini dantur, quem adoptio non confert. l. 23. ff. de Adopti. Quod ad alterum ordinem, nimirum Ascendentium attinet, regulariter hi

non

non succedunt, casus tamen exceptos vide apud Stryck. *E. F. F.* c. 16. qu. 2. 3. & 4. In tertio ordine, Collateralium nimirum, illi succedunt, qui ex primo acquirente sanguinem trahunt per lineam masculinam, *die Eines Stammes und Nahmens, Eines Geschlechts, Schild und Helms sind.* cap. Vasalli 2. f. 31. in fin. 2. f. 12. hinc frater primi acquirentis excluditur. 1. f. 1. §. 2. *vers. sin autem.* nisi vel speciali pacto simultanee sit investitus, d. 2. f. 12. vel feudum novum, antiqui feudi jure datum. Struv. cap. 9. rh. 4. n. 1.

LVI. Cum autem non solum in successione, qua Vasallus acquirat feudum, sed & si ratione Domini, status mutationem mors inferat, Vasallo renovatione Investituræ opus sit, idcirco pauca de hac facere mihi incumbit. Hæc vero investituræ renovatio, proprie loquendo, non est investitura, uti plerumque solet confundi; cum hac feudum de novo constituitur, de qua supra §. 53. jam actum, illa vero constitutum in successoris persona confirmetur. 2. f. 1. in fin. sive clarius: investitura feudum novum, quod non erat, fit, evadit, nascitur & constituitur; investituræ renovatione autem, feudum, quod jam erat, i. e. antiquum, renovatur: verbo uno, Investituram postulat feudum constituendum, renovationem investituræ vero constitutum. Investituræ itaque renovatio, quæ, dicente Rosenthal. c. 6. concl. 68. n. 1. nil quicquam novi dat, sed illud solummodo, quod est, & quod Vasallus jam ante habet, fovet & confirmat, est & obtinet, quando Vasallus, defuncto Vasallo prædecessore aut Domino, aut quocumque modo feudo ad se devoluto, intra annum & diem investituram feudi, quod ad se pertinet, renovat, secundum consuetudinem localem Curiae, aut conventionem, fidelitatem vel jurando, vel tantum promittendo. Germ. dicitur *die Lehns-Verneuerung.* Investituræ hanc renovationem itaque petere debet Vasallus

*Quid sit renovatio investituræ*

vel ipse, vel per Procuratorem, uti in investitura ipsa dictum est supra §. 53. *in med.* mutato aut Domino aut Vafallo. 2. f. 3. pr. & 2. f. 24. & 40. ita scilicet, ut si unus solus feudum hereditate acquisivit, solus; si plures, & feudum diviserunt, unusquisque pro sua parte; si denique plures, & pro indiviso feudum tenent, omnes renovationem petant. Tertio tamen hoc casu, plures heredes unum possunt eligere, qui instructus speciali mandato, omnium nomine juret, & tunc reliqui etiam ad fidelitatem obstricti censendi sunt: qui postmodum vocatur Vafallus Vicarius, Substitutus, Quasi-Vafallus vel Pro-Vafallus, Portitor & Curator Feudi, Germ. *ein Lehn-träger*. Si duos heredes in feudo successerunt, postea alter cohæredi partem suam vendat, emens intra statutum tempus petere renovationem istius partis emtæ tenetur. Plura exempla vid. apud Schneidew. p. 5. n. 8. Ex quibus patet, Vafallum, ut a Domino renovationem Investituræ accipiat, id ipsum petere debere: *Er muß die Lehn sinnen oder muthen*. Sicuti enim in novæ investituræ concessione Dominus Vafallo se offert & denunciat; Sonsbec. p. 11. n. 8. ita e contrario in Veteris confirmatione Vafallus se Domino exhibere & illam petere debet. 2. f. 40. Et quidem, uti jam dictum, intra annum & diem, 2. f. 24. 2. f. 40. *in pr.* Obl. tamen tx. 1. f. 22. quem ita conciliat Vult. c. 7. lib. 1. n. 61. In anno & die, inquiens, est rigor, in anno & mense æquitas; annus & dies est juris, annus & mensis est usus; annus & dies est investituræ & feudi petendi, annus & mensis est feudi amittendi. Quod & Jure Sax. observatur. *Lehn-Recht c. 22.* Qui terminus tamen a Domino pro lubitu prolongari potest. Quo casu, si Vafallus intra legitimum tempus investituræ renovationem petierit, *vvenn er das Lehn zu rechter Zeit gemüthet hat*, & a Domino non acquisiverit, ipsi dari solet interea documentum factæ petitionis, *ein Muth-Zettel*,



*Zettel*, quo postmodum probare possit, ipsum suo defunctum esse officio, neque feudi privatione dignum reputari posse, quæ alias ipsum ex neglecta petitione (quæ tamen ob justas causas, tam ex parte Domini, quam Vasalli validas, aliquando recte excusari potest, de quibus vide 1. f. 22. 2. f. 52. §. f. & 92. & Feudistas) sequeretur. 2. f. 24. 2. f. 40.

LVII. Priusquam vero investituræ materiæ finem imponam, adhuc vel tribus verbis dicendum de illa Investitura *Investitura simultanea.* ejusque renovatione, quam mutuus paciscentium consensus imprimis introduxit: Quæ vocatur simultanea investitura, conjuncta manus, *die gesaunte Hand, Saunt-Lehn, Mitbelehnung, gesaunte Belehnung*, & in Saxonia frequenti usu approbata. Est autem Simultanea Investitura actus, quo Dominus, consentiente possessore feudi, unum vel plures fidem promittentes de feudo investit, ita, ut possessore sine herede masculino decedente, pariter in feudo succedant. Ruding, *method. jur. cap.* 12. Unde patet, quod in hac simultanea investitura præter consensum Domini (illi enim invito alius Vasallus non est obtrudendus, Carpz. 6. *Reß.* 74. qui hoc præjudicio confirmat) & Vasalli consensus necessario requiratur, qui tamen, ut ab initio accedat, non semper opus est, cum & sufficiat, ex post facto eum supervenisse. arg. l. 5. *C. de emancip. lib.*

LVIII. Tandem postremo loco aliqua Laudemii mentio injicienda, quæ ut plurimum investituræ solet accedere. *Laudemium.* Dicitur etiam Relevium, Vasallagium, Introitus, Germ. *Lehn-Geld, Handlohn, Lehnwahr-Erlegung*. Est autem pecunie certa summa, quam Vasallus pro investitura Domino vel ex pacto vel ex consuetudine solvere tenetur. Jure itaque feudali communi nullum laudemium præstandum venit, cum non *prætextu pecunie, sed honore & amore Domini, beneficia feudalia sint acquirenda* 1. f. 27. bene tamen pacto, inprimis ve-

ro consuetudine ubique fere Germaniæ vigente, daß man von Ritter- und andern Lehn-Gütern Lehn-Wahr gibt, zur Wiedergabe, und wieder-Erkänntniß der Gaben und Wohlthaten, so der Herr mit der Belehnung dem Lehn-Mann beweiset. Nostris moribus Laudemii quantitas, est plerumque vigesima pars pretii, ita ut in singulos centenos quini floreni solvendi sint, Fürstl. Sächs. Lands-Ordnung tit. 24. von Lehn-Wahren, quandoque etiam decima pars Knich. p. 2. de invest. Et hæc laudemii præstatio nonnullis vocatur die hohe Lehn-Wahr. Laudemium minus enim, die kleine Lehn-Wahr, præstatur non Domino, sed Cancellariæ, Præfectis & Ministris Ejus, pro confectione literarum investituræ: Der Lehn-Mann muß auf der Cantzley den Lehn-Brieff auslösen, und nicht dem Herrn; sondern der Cantzley etliche Gulden geben, wvelchs man Lehn-Wahr nennet. Vocatur etiam alias der Schreibe-Schilling, oder Schreibe-Geldt.

*Effectus feudi consistit ratione Domini in fidelitate.* LIX. Constitutionem atque Acquisitionem feudi nunc ordine excipit Effectus. Videndum itaque erit, qualem Effectum in feudo constituto & acquisito & Dominus & Vasallus nanciscatur. Dominus autem acquirit 1) fidelitatem, quam Vasallus Ipsi præstat, eaque Reverentiam erga Dominum omni tempore & occasione exhibet den Lehn-Herrn mit Worten und Wercken in Ehren zu halten, & 2) Consilium & auxilium i. e. servitium Vasalliticum, des Lehn-Herrn Frommen und Nutzen befördern, vor Schaden vvarnen und denselben vwenden, FF. communiter. Et hæc servitia in casibus tum necessitatum honestatis in Noth- und Ehren-Fällen erunt præstanda: Licet enim proprie & regulariter tantum esse debeant servitia militaria, Ritter-Lehndienste, (quorum qualitas secundum loci consuetudinem vel investituræ tenorem regulanda ob das Lehn mit einem, zwey oder mehr Pferden zu bedienen oder

oder ob das Lehn ein halb Ritter-Pferd oder vweniger haltes  
 cum si unius equi valor, modici feudi fructus tenuitatem supe-  
 ret, ratione duorum vel plurium feudorum unus saltem ala-  
 tur & cum milite mittatur equus Kohl. p. 4. n. 95. Quorum  
 Seruitorum præstatio quandoque tamen etiam in ære fieri so-  
 let, & tunc Adoha sive Adaratio dicitur; de qua vide pecul. Diff.  
 I. D. Ludeke, nec non Stryck. c. 18. qu. 27.) attamen in-  
 terdum exigi etiam possunt, in magnis solennitatibus, ubi  
 splendidiore apparatu in honorem Domini opus est. Cæte-  
 rum nil interest, an requisitus Vasallus ipse seruitorum  
 onus subire velit, an vero per idoneum ac Domino gratum  
 Substitutum seu Vicarium, 2. f. 55. §. firmiter. nisi investituræ  
 tenor aut evidens utilitas ipsius Vasalli præsentiam suadeat &  
 præcipiat. Rosenth. c. 8. concl. 23. Et hæc duo (nimirum fide-  
 litatem & seruitia) ordinaria Juris feudalis dispositione, præstare  
 Vasallus tenetur, nisi ad alia etiam expressâ se obstrinxerit con-  
 uentione, quæ quippe Juri scripto & non scripto est præferenda,  
 cum provisio Hominis tollat provisionem Legis. Nov. 22. c. 2.  
 Quæ omnia ex Investituræ inspectione dijudicanda sunt.

LX. Respectu Vasalli effectus consistit in pluribus bene-  
 ficiis, imprimis vero in Dominio utili, quod Vasallus in feudo  
 constituto plene & perpetuum nanciscitur. 2. f. 23. in f. ita ut  
 omnes fructus, non solum industriales, sed & naturales lucre-  
 tur. 2. f. 86. §. fruges autem. de quibus pro lubitu disponere,  
 eosdemque alienare potest, cum percepti fructus censeantur non  
 feudales, sed allodiales. Præter fructus, ad Vasallum etiam spectant  
 aliæ accessiones & incrementa, quocumque modo vel beneficio  
 fortunæ aduenientia. Quid vero de thesauro in feudo invento  
 dicendum sit, non conveniunt Dd. Nos brevitatis studio, illi-  
 us quæstionis decisionem discursum, in ventilatione publica, data  
 occa-

Ratione  
 Vasalli, po-  
 tissimum in  
 Dominio  
 utili,  
 i. e. perce-  
 ptione fru-  
 ctuum.  
 deinde in  
 Accessioni-  
 bus aliis.

occasione habendo reservamus. Sicuti autem Vasallus, ceu dixi, fructus & commoda alienare, ita etiam totum vel partem feudi alteri in feudum iterum concedere potest. 2. f. 9. §. si vero. & 2. f. 26. §. beneficium. 2. f. 34. §. similiter. Quod appellatur Subfeudum *ein Affzer-Lehn*, Vasallus Vasalli autem, Sub-Vasallus, Subinvestitus, Subinfeudatus. Quæ subinfeudatio & sine consensu Domini & Agnatorum subsistit *ad. xxx.* cum ea Domini conditio non pejor, sed melior evadat, dum Vasallus Sub-Vasallis stipatus servitorum executionem promptius facere potest. Neque per hanc primus Vasallus desinit esse Vasallus, sed Domino ad omnia servitia præstanda nihilominus manet obligatus. Rosenth. c. 9. *concl. 43. n. 4.* Ad validam autem subinfeudationem requiritur 1) ut in literis investituræ non sit prohibita, 2) ut iisdem legibus, quibus traditum est, Sub-Vasallus investiat, & 3) ut hic sit similis conditionis vel qualitatis, vel etiam melioris, quam Subinfeudans. 2. f. 34. §. *Similiter.* Porro Vasalli ratione, etiam Effectus feudi in eo consistit, quod Dominium obligatum Vasallus habeat ad fidelitatem, quæ scilicet semper mutua & reciproca esse debet, 2. f. 6. *in fin.* & 2. f. 26. §. *Domino.* 2. f. 47. unde hoc est, quod Dominus Vasalli conjux appelletur; insuper notum dicendi proverbium: *Getreuer Herr, getreuer Knecht.* Dum enim Vasallus Domino fidem promittit, & hoc ipso ipse Dominus mutua fidei obligationi vel tacite se obnoxium facit, adeo, ut, si Dominus Vasallo id non servet, ad quod ipsi reciproce obligatus est, cesset & ipsius Vasalli vinculum, cum *frangenti fidem fides frangatur eidem.* Schrader, p. 6. c. 5. n. 15. vide etiam supra §. 8. Licet non negandum, Vasalli fidem erga Dominum, esse debere abundantem, arg. 2. f. 23. *in med.* Tandem Effectus feudi ratione Vasalli in hoc consistit, quod huic potestas competat feudo renunciare, quod *resutatio* vocatur. 2. f. 14. & 2. f. 38. *Germ. die*

In Subinfeudatione.

In eo, quod similiter Dominum habeat obligatum ad fidelitatem.

Et tandem in Resutatione.

die *Auffſagung, Aufkündigung der Lehn*, dummodo tempore & non fraudulenter id fiat. Hac ipſa autem non ſemper Domino, ſed & Descendentibus & Agnatis proſpicitur. In favorem itaque Domini contingit Refutatio ſolum, ſi feudum eſt novum & nulli extent descendentes, tunc dominium utile cum proprietate conſolidatur; vel ſi feudum eſt antiquum & adſunt descendentes, vel minimum Agnati, tunc reſignatio ad vitam reſutantis tantum durat, & poſt ipſius mortem Domino amplius non prodeſt. Descendentibus, tam novi, quam antiqui reſutationem prodeſſe debere, æquitas ſuadet 2. f. 14. Mynſ. 6. obf. 23. n. 2. & 5. Obf. 65. n. 13. Agnatis autem antiqui ſaltem feudi reſignatione proſpici poteſt 2. f. 49. Alienare tamen Vaſallus feudum minime poteſt, nequidem extrema cogente neceſſitate 2. f. 52. & 55. niſi Domini conſenſus, & in antiquo feudo Agnatorum ratiſhabitio accedat; priori enim caſu nulla eſſet alienatio d. 2. f. 52. & 55. poſteriori autem, Agnati, qui propter primam inveſtituram jus quaſitum in futura feudi ſucceſſione jam habent Zaſ. p. 10. n. 88. tale feudum ſine eorum conſenſu alienatum revocare poſſent, idque vel Jure protimiſius 2. f. 3. ſ. ſed etiam, vel Jure ſucceſſionis 2. f. 26. ſ. Titius. 2. f. 39. Struv. cap. 13. th. 16.

LXI. Consideratis iis, quæ de feudi definitione, divi-  
ſione, ſubjecto, conſtitutione, acquisitione atque effectu dicenda  
erant, nunc ad contraria devolvor, in eo totus, ut modos de-  
ſcribam, quibus feudum conſtitutum iterum amitti poſſit. Ex  
doctrina autem Feudistiſ recepta atque uſitatiffima, amitti fe-  
dum vel Vaſalli culpa, vel citra ejus culpam, & ego auſus fe-  
rum ſtatuerè. Quæ diviſio an recta atque adæquata ſit, aliis  
relinquo decidendum: Juvat interim negativam Titii ſententi-  
am, quam habet in ſeinem Teuſchen Lehn-Recht c. 26. ſ. 1.  
2. 3. & 4. hic apponere: *Es ſind vielerley Arten, dadurch*

F

das

das Lehn aufgehoben vviird, vvelche, vvenn etliche Ausleger vvolten in eine Ordnung bringen, so sagen sie, das Lehn vverde verlohren entweder durch die Schuld des Lehn-Manns, oder ohne dessen Schuld. Es ist aber dieses vwohl eine recht abgeschmackte Eintheilung, dann erstlich ist unter dessen Gliedern eine allzugrosse Ungleichheit, das erste begreiffet nur eine einzige Art, das andere aber alle übrige; über dieses ist das andere Glied verneinend, und vveiset nur so viel, daß die Arten, vvelche unter selbigem begriffen, die nicht sind, vvelche im ersten Glied stehen, aber vvwie sie heissen, davon geschieht keine Meldung, daher kam ich mit gleicher Spitzsindigkeit sagen, das Lehn vviird entweder durch Verjährung oder ohne Verjährung, u. s. vv. verlohren. Es haben vermuthlich die Ausleger diese künstliche Eintheilung von Triboniano gelernet, vvelcher eben dergleichen in seinen Institutionibus anfuhrte, vvenn er die Menschen eintheilet, daß sie in der Väter- und Herren Gewalt sind, oder in selbiger nicht sind; daß sie entweder Unmündige und Minderjährige, oder keines von beyden sind. Wenn man die Menschen, so in einer ganzen grossen Republic vorkommen, und auf vielerley Weise voneinander unterschieden sind, so vvolte eintheilen: Es sind entweder Schneider, oder keine Schneider, u. s. vv. so vwürde jederman darüber lachen, und doch sind die vor angeführte Eintheilungen von gleicher Gattung, vvelche man doch vor gar geschickt hält. *Hæc ille. Sed ut e diverticulo redeam in viam, dixi, vel culpa Vafalli, vel ci-*

*Culpa Va-*tra ejus culpam, feudum amitti. *Culpa* autem vel cōmittendo  
*falli.* vel omitiendo, intervenit: Et vocatur uno verbo Felonia, a  
*i. e. Felonia.* Germanico *Fehlen*, alias etiam *Aftalium*; committiturque non  
 solum a Vafallo adversus Dominum, sed & a Domino adversus  
 Vafallum. 2. f. 26. §. *Domino*. & 2. f. 47. utroque casu &  
 ille

ille, Vafallus, feudo, i. e. dominio utili, & hic, Dominus, domi-<sup>scil. vel</sup> nio directo, privatur: *dd. xxx.* cum, uti *§. preced.* dictum, <sup>Committen-</sup> fides inter Dominum & Vafallum sit reciproca. Interim cul-<sup>do.</sup> tam in Do-  
 pa Vafalli feudum amittitur, & quidem committendo vel in Do-<sup>minum.</sup> minum, (idque iterum vel directo, vel consequenter) vel in  
 extraneos. In Dominum directo, si Vafallus in ejus perso-  
 nam impias manus ingesserit. *2. f. 24. §. porro.* si gravibus inju-  
 riis, sive realibus sive verbalibus, illum affecerit, *d. c.* si insidias  
 fruatur veneno, gladio, vel sciat Domino insidias imminere, nec  
 eas revelet. *d. c. §. praterea.* si Domino damnum fieri vel man-  
 det, vel ipse faciat. arg. *l. 1. §. 12. ff. de vi & vi arm.* si in  
 consilio sit, in quo de damno inferendo agitur, vel in rebus, vel  
 in persona, *2. f. 2.* si amicitiam cum inimico Domini contra-  
 xerit, arg. *l. 1. 28. §. f. C. de inoff. test.* si secreta Domini do-  
 lose & animo nocendi revelaverit. *2. f. 6. & 7.* si arcem fidei  
 suæ commissam sine urgente causa hosti tradiderit, arg. *2. f. 7.*  
 si Domini matrimonium impedierit, Afflict. *in c. 1. 2. f. 6.* si li-  
 teras ejus aperuerit, Rittershus. *l. 2. c. 4. qu. 24.* porro si Domi-  
 num accusaverit de crimine, etiam vere perpetrato. *2. f. 33. §. 1.*  
 secus, si Dominum de crimine læsæ Majestatis accuset, arg. *l. 7.*  
*§. 2. ff. ad L. Ful. Maj.* vel suam suorumque injuriam perse-  
 quatur, *l. 1. ff. de Accus.* Porro privatur feudo Vafallus, si  
 testimonium contra Dominum in causâ criminali sua sponte di-  
 xerit, *2. f. 33. §. similiter.* si contra Dominum dolo & fraude  
 male judicaverit. *2. f. 24. §. illud. & 2. f. 6.* si edictis Domini  
 parere, aut per contumaciam judicio se sistere recusaverit; Item,  
 si filium aut alium, qui in ejus potestate est, adversus Dominum  
 delinquentem, ad ipsum deducere nolit. *2. f. 55. §. Insuper. &*  
*§. Illud quoque.* Consequenter & mediate sive indirecto etiam  
 Felonia in Dominum committitur, e. g. si Vafallus Dominum  
 ecurbitaverit, (de qua voce vid. Bitfch. *Comm. feud. ad 1. f. 5.*

p. 87.) 1. f. 5. i. e. si uxori ipsius stuprum intulerit, vel saltem tentaverit, aut quocunque modo impudice se adversus illam gesserit. *dd. txx.* quod extenditur etiam ad sponsam, matrem, nurum ex filio, filiam & neptem ex filio. *d. c. 1. f. 5.* si extra libidinis causam, personas Domino conjunctas laedat, v. g. affiliendo, ut vocatur 1. f. 5. §. *similiter.* si feudum absque consensu Domini distraxerit, 1. f. 21. §. *fn.* 2. f. 52. & 55. quod etiam obtinet de parte feudi aliqua alienata, quae similiter amittitur, 2. f. 38. In extraneum committendo delinquit Vasallus, & eadem privationis poena plectendus, si parricidium committat. 1. f. 5. §. *item.* 2. f. 24. §. *f.* si Convasallum hostibus tradat. 2. f. 37. si crimen perduellionis aut laesae Majestatis perpetraverit. arg. 1. f. 17. *vers. similes culpas.* Omissionis causa amittit Vasallus feudum, si investituram non debito tempore a Domino petierit. 2. f. 24. *pr.* & 2. f. 40. & 52. modo intermissa petitio dolo facta fuerit. 2. f. 52. §. *ult.* si fidelitatem, servitium & canonem annuum praestare recuset. 2. f. 24. §. 2. *vers. sed non est.* 2. f. 3. *in f.* si Vasallus sciens, Domino periculum imminere, cum non de illo certiozem reddiderit. 2. f. 7. si carceri injuste inclusum, cum posset, non liberaverit. 2. f. 24. §. 2. si Dominum in acie deserat. 1. f. 5. & quae sunt similes justae privationis causae per Vasalli culpam, quae tamen a Domino Vasallis remitti quandoque solet & potest. Rosenthal. c. 10. *concl.* 38.

Citra culpam  
Vasalli.

LXII. Citra Vasalli culpam feudum amittitur 1) morte Ejus. arg. §. *f. de usufr.* si scil. nullos feudi successores habeat, aut feudum ejus natura sit, ut non transeat ad heredes, e. gr. Guardiae & Guastaldiae. 1. f. 2. 2) Susceptione Clericatus, si scil. Vasallus monasterium ingressus fuerit. 2. f. 26. §. *qui Clericus.* 3) Rei feudalis interitu totali. §. *ult. f. de usufr.* e. g. incendio, terrae motu &c. 4) Resutatione 2. f. 14. 5) Lapsum



5) Lapsu temporis, si feudum saltim ad certum tempus sit concessum 1. f. 2. 6) Præscriptione 2. f. 26. §. si quis. qua scilicet uti supra ostensum, Dominus utile dominium, vel Vasallus, directum acquirat tandem 7) Felonia Domini, qui ob eam dominium directum amittit 2. f. 26. §. Domino committente feloniam.

LXIII. Restat, ut vel brevibus de Judicio feudali agamus. Est autem illud legitima apud Judicem inter litigantes de re controversa feudali tractatio. Wesenb. in Paratitl. de Jud. n. 5. In hoc autem consideranda sunt vel ipsæ Personæ vel Processus. Illæ sunt vel Principales vel Minus principales. Principales sunt Judex & Litigantes. Judex est vel Feudalis vel alius 2. f. 15. 2. f. 46. Judex Feudalis est vel Dominus vel Pares. Judex non feudalis est ordinarius vel Arbitrarius quidam, qui tum demum cognoscit, si Pares non adsint, vel non possint, vel Dominus suspectus sit 2. f. 15. Litigantes sunt vel Convasalli, vel Dominus & Vasallus, unus Actor, alter reus. Minus Principales sunt Advocati, Procuratores, testes &c. Dominus itaque regulariter est Judex competens, & cognoscit solum 1) si contentio inter Convasallos est 2. f. 55. adhibitis tamen necessario Paribus Curiae d. xx. & 2) si feudum non regale sit: de Regali enim solus Imperator cognoscit 1. f. 18. pr. 2. f. 34. pr. non adhibitis Paribus. Ord. Cam. p. 2. T. 7. §. Ob auch Sachen. Wurmser. Exercit. Jur. publ. 7. th. 20. Gail. 1. obs. 1. n. 35. Pares autem cognoscunt, si aliqua causa inter Dominum & Vasallum controversa est. 2. f. 39. §. si inter dominum. 2. f. 20. & 2. f. 16. cum Dominus in propria causa Judex esse non possit. dd. txx. l. 10. ff. de Jurisd. l. un. C. ne quis in sua causa. Quod procedit, etiam si Dominus feudi ipse Imperator esset, vel alius Superiorem non agnoscens. Reincking. de R. S. & E. l. 1. class. 4. c. 5. Mynd. 4. obs. 89. Et quidem regulariter omnes Pares

Judicium  
feudale.

Personæ il-  
lud confi-  
tuentes.

Curiae sunt Judices, relinquitur tamen & Domino & Vafallo, si uelint, electio specialis in his facienda. Si autem Pares Curiae Dominus nullos habeat, vel si habet, & illi in aliqua causa, de qua litigatur, testes esse nequeant, tunc ordinarius loci Judex, uti modo dixi, in horum locum erit surrogandus 2. f. 15. adde 2. f. 16. Caeterum Pares vocantur, non qui feuda paria habent, ceu putant Innocent. Panormit. alique in *c. caeterum* & *de judic.* neque quia a Paribus pariter sunt eligendi. *Hoftiens.* sed, qui in unius ejusdemque Domini territorio feuda, licet imparia, habent, uno verbo Convasalli 1. f. 26. Rosenthal. *c. 12. concl. 3. n. 27.* Et haec de Domino & Paribus, tanquam Judicibus, a quibus Appellatio ad Superiorem, si quem vel in feudalibus vel in Civilibus causis recognoscunt, valida est. 1. f. 22. *Processus.* §. 2. Struv. *c. 16. th. 9.* Processus feudalis, per omnia fere idem est, ac in Jure Civili & peragitur simili ratione citatione, Libelli oblatione, litis contestatione &c. Wefenb. *c. ult. n. 10.* cum enim a Jure feudali circa eum nil certi aut specialis praescriptum reperiatur, merito ille secundum Jus Commune erit regulandus. Nisi particulare Alicujus loci Jus feudale, *Land-oder Lehn-Recht*, vel consuetudo, speciale quippiam in processu introduxerit. Interim differentias, quibus Processus feudalis a Civili speciatim est contradistinctus, quasque per paucas & quidem quinque saltim numerant Dd, videfis apud FF.

T A N T V M!



**E**Xcelsa TE stirpe fatum, Tua vita vigorque,  
 Et virtus multa splendida luce probat.  
 Sed quid sublimi fuerit magis indole dignum,  
 Quam TE tam doctae prodere mentis opes?  
 Quas colis, hinc Musae, TE sic redamantque  
 coluntque,  
 Laudibus vt dignis TE super astra ferant.

ILLVSTRISSIMO DN. COMITI  
*Luculentissimum exemplum ad Virtutis Imita-  
 tionem exhibenti prolixiore affectu quam  
 Carmine applaudit*


Ioh. Henr. Müllerus, P. P. h. t. Vnivers. Rector.

**F**ertilior campus maturo gramine vernal,  
 nec tardos flores nobilis arbor habet.  
 Hoc magno monstras Heroum sanguine Nate!  
 dum das virtutis mascula signa Tue.  
 Auguror, en docte Feudorum iura tueris,  
 mox Feudi Dominus munere Magnus eris!

ILLVSTRISSIMO S. R. I. DOMINO  
 COMITI DE PAPPENHEIM,  
 Academicum praesens specimen exhibenti, Acade-  
 mico more quidem, sed decenti sub observan-  
 tia applausurus hocce adiciebat

Henricus Hildebrand, Consil. Noric. & Prof.  
 Pand. Publ.

Si,



**S**I, FRIDERICE, TVVM studium sic perget & ardor,  
Vix inter Comites Celsior ullus erit.

*Illustriſſimo Celiſſimoque*

COMITI DE PAPPENHEIM

S. R. I. MARESCHALLO HEREDITARIO

*paucis his applaudit*

Laurentius Heiſter, D. Anat. Chirurg. ac  
Theor. PP. Med. h. t. Decanus.

**M**agna Tuæ dudum surrexit gloria Genti:  
Maius at illi addes Tu, FRIDERICE, decus.  
Si placet, ecce Tibi tribuet ſua munera Maurors;  
Sed ſimul æternum TE pia Muſa colet.

ILLVSTRISSIMO DOMINO COMITI  
ET S. R. I. MARESCHALLO HEREDITARIO,  
ſuum cultum et obſervantiam teſtaturus  
gratulandi cauſa ſcribebat

Christianus Gottlieb Schwarz / P. P.

**D**ein Helden-Nahme prophezeyt,  
Was aus dir, Pappenheim, der große Gott will machen;  
Anietzo ſchreibt die Hand von allen Lehn-rechts Sachen,  
Die künſtig auch der Degen freyt.  
Glück zu! ſo gleichſt Du dem Held,  
Der mit Dir iſt von einen Stamm entſproſſen,  
Drumb zeige ferner unverdroſſen,  
Zu deinen Rhum bey aller Welt,  
Wie Kiel und Degen Dich dem Helden gleich gemacht.

ILLVSTRISSIMO DOMINO ET COMITI  
gratulationibus ſcripſit

Io. David Koelerus, Hiſt. et Polit. P. P.  
Quos

**Q**Vos CELSIORES reddidit  
 Natalium Sublimitas,  
 Dulces ad undas Aonum  
 Raro juvat descendere,  
 Qui *Martis* optant prælia,  
 Ad *Artium* certamina  
 Vix excitari cernimus.  
 Exempla rara charaque  
 Sunt litterati milites. \*  
 Paucosque scimus, nobiles  
 Quos dignitas *excelsior*  
 Et docta scripta fecerant. \*\*  
 Miramur istos duplici  
 Merito celebres nomine.  
 Sed, AVTOR ILLVSTRISIME,  
 De triplici TE nomine  
 Miramur Illustrissimum.  
 Stirps TE dedit CELSISSIMA;  
 TV *Martis* arma diligis,  
 TV Feuda docte differis;  
 Sic ter quaterque Magnus es.

\* *Peculiaris diff. præside J. B. Menckenio Lips. 1708, edita Viros militia æque ac Scriptis illustres recenset.*

\*\* *de Principibus eruditissimis Morhof, Loescher, Weber, Algorcer, Blum, singulis Dissertationibus egerunt.*

ILLVSTRISIMO DOMINO AC COMITI,  
 S. R. I. MARESCHALLO HEREDITARIO,

Dissertationis Feudalis Auctori & Disputatori eruditissimo,  
 sive potius Academiæ nostræ, de rarissimo hoc Or-  
 namento gratulaturus, submissa mente  
 festinante calamo f.

Jac. Wilh. Feuerlinus, Phil. Pr. & Rat. Prof.

G

IVra

**I**Vra decent magnos Comites Regalia Fisci,  
De quibus Imperii Reges cognoscere oportet.  
Interpres solers eadem sub schemate parvo,  
Libro feudorum sistit Feudista secundo,  
Clarius illustrat Comitis Facundia nostri  
In scripto; Virtutis opus mirabitur etas.  
*Quis non sectetur studium, similemque capeffat  
Curam? cum Comites curent sanctissima Fura.*

CELSITVDINI

ILLVSTISSIMI DN. COMITIS DE PAPPENHEIM  
S. R. I. MARESCHALLI HEREDITARII,  
demissa, ceu fas est, veneratione inter cocteros applau-  
dentes acclamat


Carolus Mauritius Hoffmann / D.

**E**st aliquid, celsis majoribus esse creatum;  
ast nihil est ortus, vis ubi mentis abest.  
Est aliquid, sursum tolli virtutis honore;  
ast sine divitiis Phœbus ubique jacet.  
Est aliquid tandem, Martis conscendere campos;  
Sed Musarum hospes, Dux licet, imus erit.  
Hinc Tibi laus ingens, COMES ILLVSTRISIME, crescit;  
quem penes inveniunt hæc bona cuncta locum!  
Augustus splendor MAIORVM ex ore refulget:  
Virtutum mores TE prope ad astra vehunt.  
Orbis jam doctus miratur FEVDA relecta;  
TEque manu fortem mox sciet hostis atrox.

ILLVSTRISIMI AC CELSISIMI  
DNI. DNI. FRIDERICI ERNESTI,  
S. R. I. COMITIS DE PAPPENHEIM

ATQVE MARESCHALLI HEREDITARII  
felicia auspicia submisso profecturus,  
levia hæc adscripsit

M. Io. Colmar, Alumn. Nor. & Oecon. Inspector.  
Pic-



**P**eridum cathedram, Comes Illustrissime, scandis,  
Et Propugnantis munus obire cupis.  
Fallor? an omen habet res hæc? Te Præsida Musa  
Posthac utentur, quem pia turba colet.

Submissa devotione, gratulabundus hæcce  
apposuit

I. I. de Lier.

**A**rtibus atque armis Heroum gloria fulget;  
Artibus atque armis TV quoque Magnus eris.

*Humillime gratulationis ergo  
adjiciebat*


Henr. Fel. Spizius, Altdorffin.

**M**agne Comes! Proavum priscae virtutis imago,  
Qui Splendore replez pulpita docta Tuo.  
Hinc cum leta subis nostratis culmina Pindi,  
Sidera Caucasei montis ad instar amant.  
Delphica sic Comiti cedunt oracula Phœbi,  
Cui fuerat tellus, quod Tibi regna Poli.

ILLVSTRISSIMO ET CELSISSIMO  
DOMINO DOMINO COMITI IN PAPPENHEIM

S. R. I. MARESCHALLO HERED.  
de edito eximix eruditionis speciminē,  
summa animi pietate gratulatur

I. C. Scheurl de Defersdorf.  
Mille



**M**ille tibi applaudunt, COMES ILLVSTRIS-  
SIME, vota,  
Quæ nunc a Musis, noster Apollo, capis.  
Quapropter liceat testari gaudia, cum sit  
Mi tua, CELSE COMES, gratia nota fatis.  
Supremus coeli Princeps tua cœpta secundet,  
Ex animoque tibi prospera quæque fluant.

*Hiscæ paucis,*

ILLVSTRISSIMO ATQVE CELSISSIMO

S. R. I. COMITI ATQVE MARESCHALLO  
HEREDITARIO,

*Domino suo Gratiissimo, extraordinarium plane  
specimen submitte gratulari, atque applaudere  
voluit servus ejus humillimus*

F. M. de Lersner.



ILLVSTRISSIMO  
DOMINO S. R. I. COMITI ATQVE MARESCHALLO HERED.  
DE OBEO EXIMIO CRIDITIONIS SPECIMINE,  
SVMMS ANIMI PACIS GRATIAS  
I. C. Schreub de Detersdorf  
Mille



ULB Halle


3

002 382 989



TA → 20





1716, 13a  
16  
1716, 13a  
16  
1716, 13a  
16

IVRIS FEVDALIS  
VNIVERSI  
POTIORA CAPITA

FRIDERICVS ERNESTVS  
S. R. I. MARESCHALLVS HEREDITARIVS  
COMES ET DOMINVS IN PAPPENHEIM

ADSTANTE

ERHARDO SPIZIO

ALTDORFFINO

PVBLICAE ET SOLENNI ERVDITORVM DISQVIVISIONI

EXPONET

AD DIEM XVII. IVNII MDCCXVI.

ALTDORFI

LITERIS JOD. GVILIEL. KOHLESII, ACAD. TYPOGRAPHI

